Fr Guilelmus Burzkowic
O. E. S. A. M.pp

Pro Conuentu Cracouiensi S. Catharinae

EXPLANATIO REGVLÆ D. AVGVSTINI EPISCOPI HIPPONEN:

Facta ante centum Annos à R. P. GREGORIO CÆLIO PANNONIO, Ordinis FF. Eremitarum, S. Pauli Primi Eremitæ, Presbytero:

Nunc autem


Per A. R. P. ANDREAM GOLDONOVVSKI, eiusdem Ord: FF. in Polonia ac Silesia Priorem Prouincialem, correcta: additis breuibus virtutũ in præfata Regula contentarũ, PRAXIBVS.

Cui explanationi, ipsa Regula S. Patris, signata Prosodiæ accentibus, præmittitur.

Opusculum, sanè omnibus Regularibus, sub Regula D. P. Augustini militantibus, perquàm vtile.

CRACOVIÆ,
In Officina Andreæ Petricouij, S. R. M. Typogr.
Anno Domini, 1642

IN STEMMA.



Herculiŭ & Martiŭ vires, cum Palladiŭ arte,
Cerno LVBINSCIANÆ *dona ſuperna Domûs.*
Duritiês ferro, moles domita arte Biſontiŭ:
Robore nil hoſtiŭ, nil valeatq; dolo.
Hiŭ pietatiŭ amor ſupereminet: inde LVBINSKI
Archipræſuleo dignus honore coli.

Illustrißimo ac Reuerendiss: Domino,

D. MATTHIÆ LVBINSKI,

Dei & Apostolicæ Sedis Gratia

ARCHIEPISCOPO GNESNENSI,

LEGATO NATO, R.P. PRIMATI, AC PRIMO PRINCIPI DIGNISSIMO, &c.

Patrono colendissimo & benignissimo.

ARtaxerxes Persarū Rex, Illustrißime ac Reuerendiss: Dn̄e, cùm per Regnum obequitaret, eiq; iuxta solitum morem populi munera offerrent;

pauper quidam colonellus, habere se nihil quod daret cernens, statim ad proximum amnem se proripuit; vnde impletis aquâ ambabus manibus, alios, qui cum muneribus antecesserant, consecutus, Regi aquam obtulit. Ego in hoc plurium congratulantium numero, qui Tuis Illustrißime ac Reuerendiss: Dn̄e heroicis virtutibus, ac præstantißimis in Rē-publ: meritis debitam Sedem Archiepiscopalem, Tibi applaudunt, aduertens me nihil dignum Illustrißimæ ac Rn̄dißimæ D. T. ad offerendum habere; attamen multis titulis Tuo Illustrißimo nomini ac honori, vnà cum meis

Fra-

Fratribus obligatum, hanc modicam ſacrorum Dogmatum aquam, ex fonte S. Euangelij deriuatam: Commẽtaria nimirum in Diui Auguſtini Epiſcopi Regulam, Cælij Pannonij Ordinis noſtri Presbyteri, per me è tenebris eruta, ac pluribus in locis illuſtrata, Tibi Illuſtriſsime ac Reuerendiſsime Dńe ſupplex offero, & præſento. Tibi inquam, cuius ſingularis beneuolentia erga Ordinem noſtrum; deuotio laudabilis erga Diuam Claromontanam pijs ac crebris viſitationibus ad locum eius teſtata; liberalitas ac munificentia, nulli vſurpata hactenus, erga eundẽ locum Deiparæ

ſacrum (cuius nos indigni inquilini ac cuſtodes ſumus) manifeſtè elucet. Tibi inſuper, qui olim Regulæ S. Auguſtini Zeloſus in Conuentu Miechouienſi, cui fæliciter præfuiſti, propugnator ac promotor: nunc autem in adeò ſublimi dignitatis faſtigio conſtitutus, viuū exemplar præfulges. Non quidem hæc comentariola ſunt prolixa verbis, ſed præſtant pondere ac ſententijs; humili, vt ita dicam, calamo exarata, ſed eximijs præſcriptionibus, iuxta mentem S. Patris, morum Regularium referta; ſtylo ſimplici cōpacta, at ſpiritu Zeli cæleſtis imbuta. Suſcipies piè, credo, Illu-

ſtriſsi-

ſtriſſime Princeps, ac Rńdiſſime Dńe, hanc meam opellam, debitæ ac ſinceræ obſeruantiæ, deuotiſſimiq́; affectûs mei erga Illuſtriſſimam ac Rńdiſſimam Dominationem Tuam, quam præſe fert teſtificationem, penes laborem huius viri: atq; vt omnium Religioſorum, ſub Regula D. Auguſtini militantium, manibus animiſq; foueatur, tuo eximio ſplendore commendabis: Tui Magnifici patrociniĳ tutelâ, plus æſtimationis ei addes, & Authoritate tui grauiſſimi nominis eãdem ſtabilies & illuſtrabis. Cæterùm noſtrum erit, Deiparam Virginẽ, cuius Tu cultor Zeloſiſſimus exi-

ſtis in loco ipſi dicato, & impenſis tuis magnâ & magnificâ ex parte exornato potiſsimùm precari, vt benedictione Filij eius, Tu Ill^me & Rńd^me Dńe, incolumis ac feliciſsimus, S. Eccleſiæ, Reipubl: Polonæ, Illuſtriſsimæ Tuæ Proſapiæ, & noſtro Ordini, in annos plurimos viuas. Datum in Conuentu Clari Montis Czeſtochouień.

Ill^mæ ac Rńd^mæ Celſitud: Tuæ

Seruus in Chriſto,

Fr. Andreas Goldonowſki, Ord: S. Pauli Primi Eremitæ Prior Prouincialis, per vtramq; Poloniam & Sileſiam.

Ad Lectorem.

CVm in hanc explanationem Regulæ Diui Augustini, per Cælium Pannonium Ordinis nostri Presbyterum factam, tenebris obrutam, ac planè in puluere sopitam incidissem; admirans in ea sincerum obseruantiæ Regularis affectum, hanc spem non fallacem in animum induxi, vt sicut hic Author Sanctimoniæ amicissimus, suis collectaneis in S. Apocalypsim Diui Ioannis Apostoli (in quibus egregiam satis operam, teste Collectore Authorum, in Cathalogo suo, & alijs, nauauit) Doctoribus Christianis multùm luminis contulit; ita etiam hisce commenta-

riolis bono zelo ſpirituque religioſo repletis, viris religioſis, qui vitam, moreſq; ſuos, in exempla cæterorum trahere meminerunt, multùm emolumenti afferre valeat. Vt autem in perfectionis via progredi incipientibus commodiùs conſuli poſſet; ex occaſione ipſius opuſculi, ſingulis Capitibus (præter imınutata quædam in ipſo Authore) breues Praxes virtutum in Regula contentarum, ex diuerſis rerum Diuinarum ſcriptoribus collectas, ſubieci. Parùm enim eſt, virtutem laudare, & ad eam ſectandam hortari; niſi etiam (vt ſapienter Calaguritanus, de arte concionandi, *Cap*: 4. diſſerit) modum exercendæ virtutis oſtendas. Pluribus quidem ſententijs, ac verbis prolixioribus, tam ampla ma-

teria per me potuisset tractari: verùm hisce plus facere, quàm legere Lectorem intendo; cùm virtutis laus non in lectione, sed in actione (*vt Cicero 1. Offic:*) consistat; altioreque spiritu Diuus Iacobus, non auditores legis, sed factores iustificari asseueret. Tu Lector faue, vale, & pro salute animæ tuæ vtere.

Approbatio.

EGo IACOBVS VSTIENSIS, S. Theol: & I.V. Doctor ac Professor, necnon Ordinarius per Diœcesim Cracouiensem librorum Censor. Explanationem Regulæ S. Augustini Episcopi, à R. P. Gregorio Pannonio, Ordinis Fratrum Eremitarum S. Pauli Primi Eremitæ Presbytero, ante centum annos factam, & nunc per Adm: R. P. Andream Goldonowski, eiusdem Ordinis Fratrum in Polonia & Silesia Priorem Prouincialem, recognitam, atq; practicis sanctioris vitæ documentis, in vsum Regularium, & quorumuis aliorum vitæ spiritualis alumnorum, auctam, legi. Et quia Catholicam doctrinam, non modò viris religiosis, sed etiam alijs Christianæ perfectionis æmulatoribus proficuam, continet, eius imprimendi facultatem concedo. Datum Cracouiæ, in Collegio Maiori. Anno Domini 1642. ipso die S. Pauli Primi Erem.

INCIPIT REGVLA D. AVGVSTINI EPISCOPI.

ANte ómnia Fratres Charíßimi, dilīgâtur DEVS, deínde próximus: quia iſta duo præcépta ſunt principáliter nobis data.

Hæc ígitur ſunt, quæ vt obſeruêtis præcípimus, in Monaſtério conſtitûti.

Primum: propter quod in vnum eſtis congregâti, vt vnánimes habitêtis in domo, & ſit vobis ánima vna, & cor vnum in Dómino.

Nec

Nec dicâtis áliquid própriũ; ſed ſint vobis ómnia commúnia: & diſtribuâtur vnicúique veſtrũ à Præpóſito ſuo, victus & teguméntum, nõ æquáliter ómnibus, quia nõ æquáliter valêtis omnes, ſed pótius vnicúiq; ſicut cúique opus fúerit. Sic enim légitis in Actibus Apoſtolôrum, quia erãt illis ómnia commúnia, & diſtribuebâtur vnicúique, ſicut cúique opus erat.

Rurſus étiam illi qui áliquid habêbant in ſéculo, quando ingréſſi fúerint Monaſtérium, libénter velint illud eſſe cõmûne. Qui autem non habêbant, non ea quærant in Monaſtério, quæ

nec foris habére potuérunt: Sed tamen eorum infirmitâti, quod opus est tribuâtur; etiámsi paupértas eôrum talis erat, quandò foris erant, vt nec ipsa necessária póterant inuenîre. Tamen non ídeo putent se esse felîces, quia inuenêrunt victum & teguméntū, quale foris inuenîre non potuêrunt: Nec érigant ceruîcem, quia sociántur eis, ad quos foris accédere non audêbant: Sed sursùm cor hábeant, & terréna vana nō quærant: ne incípiant Monastéria diuítibus esse vtîlia, non paupéribus; si díuites illic humiliántur, & paúperes illic inflántur. Rursus etiam illi qui áliquid esse

videbántur in século, non hábeāt fastídio fratres suos, qui ad illam sanctam Societátē ex paupertâte venêrunt. Magis autem stúdeant, nō de paréntum díuitum dignitâte, sed de páuperum fratrū societâte gloriári: Nec extollántur, si commûni vitæ áliquid de suis facultátibus contúlerint: nec de suis diuítijs magis supérbiant, quia eas Monastério partiúntur, quàm si eis in século fruerént ur. Alia quippe quæcúnq; iníquitas in malis opéribus exercétur, vt fiant: supérbia verò in bonis opéribus insidiâtur, vt péreant. Et quid prodest dispergéndo dare paupéribus, & páuperem fieri,

ri, cum anima misera supérbior effícitur, diuítias contémnendo, quam fúerat possidéndo?

Omnes ergò vnanimiter, & concórditer víuite, & honorâte in vobis Deum ínuicem, cuius templa facti estis.

Oratiónibus instâte, horis & tempóribus constitûtis.

In Oratório, nemo áliquid agat, nisi ad quod factum est, vnde & nomẽ accêpit. Si verò fortè áliqui étiã præter horas constitûtas, si eis vacat, orâre volúerint: non eis sint impediménto, qui ibi áliquid agéndum putáuerint.

Psalmis & Hymnis cùm orâtis Deum, hoc versêtur in corde,

quod profértur in ore. Et nolíte cantáre, nisi quod légitis esse cātándum. Quod autem non ita scriptum est vt cantêtur, non cantêtur.

Carnem vestram domâte ieiúnijs, abstinéntia escæ & potûs; quantùm valetûdo permittit: Quando autem áliquis nō potest ieiunâre, non tamen extra horā prándij áliquid alimentôrum sumat, nisi cùm ægrôtat.

Cùm accéditis ad mensam, donec inde surgâtis, quod vobis secûndum consuetúdinem légitur, sine tumúltu & contentióni-bus audite, ne solæ vobis fauces sumant cibum, sed & aures esú-

riant verbum Dei.

Qui infirmi sunt ex prístina consuetúdine, si áliter tractántur in victu, non debet álijs moléstum esse, nec iniústum vidêri eis, quos fecit áliqua consuetûdo fortiôres. Nec illos feliciôres pútent, quia sumunt, quod non sumunt ipsi: sed sibi pótius gratuléntur, quia valent quod non valent illi. Et si eis qui venêrunt ex móribus delicatióribus ad Monastérium, áliquid alimētôrum vestimentorúmuè datur, quod álijs fortióribus, & ideò felicióribus, non datur: cogitâre debent quibus non datur quantùm de suâ seculâri vitâ illi ad istam ascén-

derint, quamuis vsque ad aliôrũ, qui sunt córpore firmiôres, frugalitâtem peruênire non potuêrũt. Nec debent velle omnes, quod paucos vident ámplius, non quia honorántur, sed quia tolerántur, accípere: ne contingat detestánda peruérsitas, vt in Monastério vbi quantùm possunt díuites fiũt laboriôsi, fiant paúperes delicâti.

Sanè quemádmodum ægrotántes necésse habẽt minùs accípere ne grauéntur; ita & post ægritúdinem sic tractándi sunt, vt cítius recreéntur, etiamsi de humíllima séculi paupertâte vénerint, tanquam hoc illis contúlerit recéntior ægritûdo, quod diuíti-

bus antérior consuetúdo.

Sed cùm vires prístinas recuperáuerint, rédeant ad suam feliciôrem consuetúdinem, quæ fámulos Dei tantò ámplius decet, quantò minus índigent: ne cibi eos téneat volúptas iam vegetâtos, quos necéssitas leuârat infírmos. Illos æstiment ditiôres, qui in sustinénda parcitâte fúerint fortiôres.

Mélius enim est minus egêre, quàm plus habêre.

Non sit notábilis hábitus vester; nec affectêtis véstibus placêre, sed móribus.

Quando procéditis, simul ambuláte: cùm venéritis quo itis,

ſimul ſtate: in incéſſu, ſtatu, hábitu, in ómnibus mótibus veſtris, nihil fiat quod cuiúſquam offéndat aſpéctum, ſed quod veſtram déceat ſanctitâtem.

Oculi veſtri & ſi iaciántur in áliquam fœminârum, in nullam figántur. Neq; enim quãdo procéditis fœminas vidêre prohibémini: ſed appétere, vel ab eis áppeti velle, criminôſum eſt. Nec ſolo tácito affécu, ſed affécu & aſpéctu quoque appétitur, & áppetit cõcupiſcéntia fœminârum. Nec dicâtis vos habêre ánimos pudîcos, ſi habeâtis óculos impudícos: quia impudîcus óculus, impudici cordis eſt núntius. Et cùm

ſe inuicem ſibimet, étiam tacénte linguâ, conſpéctu mútuo corda núnciant impudica, & ſecúndũ concupiſcéntiam carnis, altérutro delectántur ardôre, etiam intáctis ab immúnda violatiône córporibus, fugit cáſtitas ipſa de móribus. Nec putâre debet qui in fœminam figit óculum, & ipſe in ſe illius dirigit fixum, ab álijs ſe non vidêri cùm hoc facit: vidêtur omnîno, & à quibus ſe vidêri nõ arbitrâtur. Sed & ſi láteat, vt à némine hóminum videâtur: quid fáciet de illo déſuper inſpectóre quẽ latêre nihil poteſt? An ídeo putândus eſt non vidêre, quia tãtò videt patiéntius, quantò ſapi-

éntius: Illi ergo vir ſanctus tímeat diſplicêre, ne velit fœminæ malè placêre. Illũ cógitet ómnia vidêre, ne velit fœminæ malé vidêri. Illîus namq; & in hac cauſa commendâtus eſt timor, vbi ſcriptum eſt: Abominátio eſt Dómino, defigens óculum. Quando ergo ſimul eſtis in Eccléſia, & vbicúnque fœminæ ſunt; inuicem veſtram pudicítiam cuſtodite: Deus enim, qui hábitat in vobis, iſto etiam modo cuſtódiet vos ex vobis. Et ſi hanc, de qua loquor, óculi petulántiã in áliquo veſtrum aduertéritis, ſtatim admonête, ne cœpta progrediántur, ſed de próximo corrigântur.

Si autem & post admonitiônem íterum, vel alio quocûnq; die, id ipsum eum fácere videritis: iam velut vulnerâtū sanândum prodat, quicúnque hoc potúerit inuenire. Priùs tamen est álteri, vel tértio, demonstrándum, vt duôrum vel trium possit ore conuinci, & competénti seueritâte coercêri. Nec vos iudicêtis esse malíuolos, quādo hoc indicâtis: magis quippe innocêntes non estis, si fratres vestros quos indicándo corrígere potéstis, tacêndo perícre permíttitis. Si enim frater tuus vulnus habet in córpore, quod velit occultâri dum timet secâri, nonnè crudéliter à te silerêtur,

& misericórditer indicarêtur? Tantò ergò pótius debes manifestâre, ne detériùs putréſcat in corde. Sed ántequã álijs demonſtrêtur, per quos conuincéndus eſt, ſi negáuerit, prius Præpóſito debet oſténdi, ſi admónitus negléxerit córrigi: ne fortè ſecrétiùs corréctus poſſit nõ innotéſcere cæteris. Si autem negáuerit; tunc negânti adhibéndi ſunt âlij etiam teſtes, vt coram ómnibus poſſit iam nõ ab vno teſte árgui, ſed à duôbus vel plúribus cõuinci. Conuíctus verò ſecúndum Præpóſiti vel Presbyteri (ad cuius diſpenſatiônem pértinet) arbítrium, debet emendatóriã ſub-

ire vindíctam; quam si ferre recusáuerit, étiamsi ipse non abscésserit, de vestra societâte proijciâtur: Non enim & hoc fit crudéliter, sed misericórditer, ne contagiône pestíferâ plúrimos perdat. Et hoc quod dixi de óculo non figêndo: étiam in cæteris inueniéndis, indicândis, prohibéndis, iudicándis, conuincendîsq; peccâtis, dilígénter & fidéliter obseruêtur, cum dilectiône hóminum, & ódio vitiôrum.

Quicûnque autem in tantum progrêssus fúerit malũ, vt occúltè ab áliquo litteras, vel quódlibet munus accéperit; si hoc vltrò confitêtur, parcâtur illi, & orêtur

pro eo: si autem depreh éndıtur, atq; cōuíncitur, secúndum arbítrium Præpósiti vel Presbyteri, gráuiùs emendêtur.

Vestes vestras in vnum habeâtis sub vno custôde, vel duôbus, vel quot sufficere possint ad eas excutiêndas, ne à tíneâ lædântur. Et sicut pascímini ex vno cellário, sic induâmini ex vno vestiário. Si fieri potest, ad vos non pertíneat, quod vobis indumentum pro témporum congruéntia proferâtur, vtrum hoc recípiat vnusquísq; vestrū quod deposúerat, an áliud quod alter habúerat: dū tamen vnicuíque, prout cúique opus est, non negêtur. Si autem

hinc inter vos contentiônes & múrmura oriúntur, cùm cõquéritur áliquis se detérius accepisse quam prius habúerat, & indignũ se esse, quod non ita vestiâtur, sicut alius frater vestiebâtur: Hinc vos probâte, quantum desit vobis in illo interiôri sancto hábitu cordis, qui pro hábitu córporis litigâtis. Tamen si vestra tolerâtur infirmitas, vt hoc recipiâtis quod posuerâtis: in vno tamẽ loco sub commúnibus custódibus habête quod pónitis. Ita sanè, quod nullus sibi áliquid operêtur, sed ómnia vestra in vnum fiant maiôri stúdio, & frequẽtiôri alacritâte, quàm si vobis singuli fecéritis

própria. Cháritas enim, de qua scriptum est, quòd nō quærit quæ sua sunt, sic intellígitur, quia cōmúnia próprijs, non autem própria commúnibus antepônit. Et ídeò quantò ámplius rem commúnem, quàm própria vestra, curauéritis, tantò ámplius vos profícere nouéritis: vt in ómnibus quibus vtitur transitória necéssitas, superemíneat quæ pérmanet cháritas. Cónsequens ergo est, vt cùm quis filijs suis, aut aliquâ necessitúdine ad se pertinéntibus, in Monastério constitûtis, áliquam contúlerit vestem, siue quódlibet áliud, inter necessária deputándum: non occúltè reci-

piâtur; sed sit in potestâte Præpósiti, vt in rem commûnem redáctum, cui necésse fúerit præbeâtur. Quod si áliquis rem sibi collâtam celáuerit, furti iudício condemnêtur.

Induménta vestra, secúndum arbítrium Præpósiti lauéntur, siue à vobis, siue à fullónibus: ne interiôres ánimæ sordes cóntrahat mundæ vestis nímius appetîtus. Lauácrum etiam córporis, cùm infirmitâtis necéssitas cogit, minimè denegêtur: Fiat sine múrmure de consílio médici, vt etiámsi nolit, iubénte Præpósito fáciat quod faciéndum est pro salûte. Si autem velit, & fortè non

éxpedit, ſuæ cupiditâti non obediâtur. Aliquándo enim, etiámſi nóceat, prodéſſe créditur quod deléctat.

Dêniq; ſi latens eſt dolor in córpore: fámulo Dei dicénti, quid ſibi dóleat, ſine dubitatiône credâtur. Sed tamen vtrum ſanándo illi dolôri, quod deléctat expédiat, ſi non eſt certum, médicus conſulâtur.

Nec eant ad bálnea, ſiue quocúnque ire necéſſe fúerit, minus quam duo, vel tres. Et ille qui habet áliquo eundi neceſſitâtem, cum quibus Præpóſitus iúſſerit, ire debet.

Ægrotántium cura, ſiue poſt

ægritúdinem reficiẽdôrum, siue áliqua imbecillitâte, siue etiã fébribus laborántium, vni alícui debet iniúngi, vt ipse de cellário petat quod cúique opus esse perspéxerit.

Siue etiam qui cellário, siue qui véstibus, siue qui codícibus præponúntur; sine múrmure séruiant frátribus suis.

Códices certâ horâ síngulis diêbus petántur: extra horã qui petíerit non accípiat.

Vestiménta verò & calceaménta, quãdo indigéntibus fúerint necessária, dare non dífferãt, sub quorum custódia sunt quæ poscúntur.

Lites autem nullas habeâtis, aut quàm celérrimè finiâtis; ne ira crescat in ódium, & trabẽ fáciat de festûca, & ánimam fáciat homicídam. Sic enim légitis: L Qui odit fratrem suum, homicída est. Quicúnque ergo conuício, vel maledícto, vel étiam críminis obiéctu áliquem læserit, memínerit satisfactiône quàm cítius curâre quod fecit; & ille qui læsus est, sine disceptatiône dimíttere. Si autem inuicem se læserint, inuicem sibi débita relaxâre debêbunt; propter oratiônes vestras, quas útiq; quantò crebriôres habêtis, tantò sanctiôres habêre debêtis. Mélior est enim

qui quamuis irâ sæpè tentâtur, tamen impetrâre festínat vt sibi dimittâtur, cui se fecisse agnóscit iniúriam, quàm qui tárdius iráscitur, & ad véniam peténdam tárdius inclinâtur. Qui autem nunquam vult pétere véniã, aut nõ ex ánimo petit; sine causa est in Monastério, etiámsi inde non proijciâtur.

Proínde vobis à verbis duriôribus párcite, quæ si emissa fúerint ex ore vestro, non pígeat ex ipso ore proférre medicaménta, vnde facta sunt vúlnera. Quando autem necéssitas disciplînæ in móribus coercéndis, dícere vos dura verba compéllit, etiámsi ipsi

vos modum excelsisse sentîtis, non à vobis exígitur, vt vobis à súbditis véniam postulêtis; ne apud eos, quos opórtet esse subiéctos, dum nímium seruâtur humílitas, regéndi frangâtur authóritas. Sed tamen peténda est vénia ab ómnium Dómino, qui nouit eos, quos plus iusto fortè corrípitis, quantâ beneuoléntiâ dilígâtis.

Non autem carnâlis, sed spirituâlis inter vos debet esse diléctio.

Præpósito tanquam Patri obediâtur: multò magis Presbytero, qui ómnium vestrum curam gerit.

Vt ergo cuncta ista seruéntur, & si quid seruâtum minùs fúerit, non negligénter prætereâtur, sed vt emendándum corrigendúmue curêtur. Ad Præpósitum præcípuè pertinêbit, vt ad Presbyterum (cuius est apud vos maior authóritas) réferat, quod modum vel vires eius excêdit.

Ipse verò qui vobis præest, nō se exístimet potestâte dominánte, sed charitáte seruiénte felicē. Honôre coram vobis Prælâtus sit; timôre coram Deo substrátus sit pédibus vestris. Circa omnes seípsum bonôrum óperum præbeat exémplum. Córripiat inquiêtos, consolêtur pusillánimes,

ſuſtíneat infírmos, pátiens ſit ad omnes, Diſciplînam libens hábeat, metuéndus impônat, & quāuis vtrúmq; ſit neceſſárium, tamen à vobis plus amâri áppetat, quam timêri; ſemper cógitans Deo ſe pro vobis redditûrum ratiônem. Vnde vos magis obediéndo, non ſolum veſtri, ſed etiā ipsîus miſerémini, qui inter vos quantò in loco ſuperiôri, tantò in perículo maiôri versâtur.

Donet Dóminus vt obſeruêtis hæc ómnia, tanquam ſpirituâlis pulchritúdinis amatôres, & bono Chriſti odôre de bonâ conuerſatiône fragrántes; non ſicut ſerui ſub lege, ſed ſicut líberi ſub grátia conſtitûti.

Vt autem vos in libéllo hoc, tanquam in spéculo posśitis inspícere, ne per obliuiônē áliquid negligâtis, semel in septimâna vobis legâtur: & vbi vos inuenéritis ea quę scripta sunt faciéntes, ágite grátias Dómino bonôrum ómnium largitôri: vbi autem sibi quicúnque vestrum víderit áliquid deesse, dóleat de prætérito, cáueat da futûro, orans vt sibi débitum dimittâtur, & in tentatiônem non inducâtur.

EXPLANATIO REGVLÆ D. AVGVSTINI EPISCOPI HIPPONEN.

HÆc Regula Professionis nostræ, commendatur à præstantiâ Authoris, qui est excellens Ecclesiæ Doctor; vtpotè, qui totum mundum suâ illustrauit sapientiâ. quæ quidem Regula quia particulatim, maximè in sensu, excerpta est ex Sacra Scriptura, quæ tota Christi est; reuera Christi potiùs dicenda, qui Spiritum excitauit in B. Augustino, vt illam iuxta formam Apostolicam conscriberet: seu daret certas præceptiones, quæ modũ rectè viuendi præberent hominibus religiosis, vt per eas ad perfectionem vitæ tenderent: quatenus charitate Diuinâ, seu amore beneuolentiæ Dei supernaturali imbuti, ablatâ inordinatâ passionum, seu affectionum carnalium,

cupiditate, vitijs depulsis, ac ornati virtutibus; expediti redderentur ad functionem vitæ spiritualis, moreq; heroico, purè propter ipsum Deum, bona agerent, mala perferrent: idq; ad exemplum Christi Domini.

FVNDAMENTVM REGVLÆ.

Ante omnia Fratres Charißimi, diligatur Deus, deinde proximus. &c.

FVndamentum Regulæ non est aliud quàm ipsum Euangelium, quod totum charitas est, intendens bonum solius Dei, & proximi propter Deum: quæ tam necessaria res est, vt sine hac nulli constet salus, vt probat Apostolus 1. Cor: 13. *Si linguis hominum loquar, aut Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens*: quæ cum alijs sonitu prosint, cæterùm se ipsa pulsu destruunt; homines conuocant, & congregant, ipsa in

loco fixa manent. Plura ibidem, in hanc sententiam dicit; quòd nec Prophetiæ sine hac valeant, nec sapientia vlla; imò quod maximum est, nec ipsa fides. (quod enim iustus ex fide viuere, à S. Apostolo asseratur, *ad Rom: 1.* intelligi debet de fide charitate formata.) sed neque distributio rerum pauperibus, ipsumq; Martyrium. Perinde ergo est charitas in re salutis, atque vita radicis in arbore, sine qua nec folia, nec fructus profert. Propterea & in lege maximum præceptum datum fuit de ipsa dilectione, vt habetur *Deut: 6. Matth: 22. Mar: 12.* eò quod quidquid lege continetur, totum in idipsum desinat, vt totam nostram intentionem non ad aliquod bonum creatum, quantumcunque illud sit vtile, honestum, delectabile: sed ad Dei maius beneplacitum, & obsequium eius dirigamus; totum intellectum Deo subijciamus; omnes appetitus nostros, necnon omnia opera externa ad normam legis Diuinæ componamus; nihilq; prorsus velimus contrarium dilectioni Diuinæ: quin priùs consideremus verbum, ipsamque

cogita-

cogitationem, antequàm illi consentiamus, an Deo placeat nec ne? Proximo autem, etiã inimico, bonum cupiamus, sicut nobis ipsis; eique succurramus, sicut vellemus nobis ipsis succurri: principaliter autem ei optemus bonum animæ, ipsamque felicitatem æternam; tum alia in ordine ad eam consequendam, ipsum re ipsa adiuuantes. Ideo dilectionem D. Paulus vocat plenitudinem legis, *Rom: 13.* & finem præcepti ipsam charitatem; *1. Tim: 1.* quam definit de corde puro, conscientia bona, & fide non ficta.

PRAXIS.

Diligendus est Deus, non solùm vt Author naturæ, sed etiam vt Author gratiæ & gloriæ. vt docet S. Thomas, 1. 2a. q. 113. & passim DD. Si quis enim, v. g. cognoscit Petrum vt Dominum suum; istum quâ dominus eius est, veneratur & amat: si tamen eundem postea cognoscat esse Patrem suum, profectò altiore modo eundem honorabit & diliget: ita Deus Opt: lumine rationis, quâ Creator; & lumine fidei, quâ gratiæ & glo-

riæ largitor à nobis cognitus, non solùm amore naturali, verùm etiam supernaturali est diligendus, & eodem amore actus nostri ad meritum gloriæ cælestis, vt ab eo procedant, sunt informandi: vt habet Concil: Trident: Seſſ: 6. c. 16. & communiter DD.

Praxim autem diligendi Deum, habemus ab ipso Deo traditam, in breui Dialogo S. Catherinæ Seneñ: in hæc verba: *Si me perfectè amare vis, te tria facere necesse est. Primò: Vt voluntatem tuam ab omni amore, affectuq; terreno & carnali, prorsus amoueas, segreges, mundifices; ita vt in ista vita nihil transitorium, nihil caducum, nihil temporale ames, nisi propter me, & quod maius & maximum est, non ames me propter te, aut proximum propter te; sed ames me propter me, & proximum propter me: quoniam diuinus amor terreni affectûs, aut alterius cuiusuis amoris, consortium pati non potest. Vnde quantùm te terrenarum rerum cogitatione infeceris; tantùm & in mei amore peccabis, & de tuá perfectione deperdes: mentem quippe vt müda sit & sancta, omnia quæ corpus sentit, fastidire necesse est. Effice igitur, ne quidquam ex his quæ à bonitate mea vestros in vsus profecta sunt, te ad me*

amandum impediat; sed omnia adiuuent, accendant, inflamment; quoniam ea vobis creando concessi, vt bonitatis meæ largitatem latiùs ex ipsis dignoscentes, me abundantiore quoq; amore prosequamini. Cùm hoc impleueris, ad secundum etiam, quod est altioris perfectionis, peruenire poteris, vt omnes cogitationes, actus & opera tua dirigas ad meũ solummodò honorem, & gloriam, semperq; soli meæ laudi studiosissimè des operam, precibus, verbis, & exemplis, & quomodo possis; vt non tu tantùm sic, sed alij omnes tecum pariter & eodem modo affecti sint, vtq; vniuersi me vnum nôrint, ament, colant; hocq; magis mihi placet quàm primum, quoniam magis imples voluntatem meam. Tertium, quod reliquum est, si assecuta fueris; tibi nihil deesse, teq; consummatam integritatem consecutam scito. Illud autem hoc est, vt summo desiderio quæras, nitaris, & studeas ad hanc peruenire mentis dispositionem, vt mihi ita coniuncta sis; tuaq; meæ (quæ perfectissima res est) ita similis sit conformisq; voluntas, vt nolis non solùm malum, sed & bonum, quod ipse nolim, idq; eueniat quicquid velit, & vndecunq; velit in istius vitæ miseria, siue spiritualibus, siue temporalibus in rebus: hoc minimè

nimè frãgatur pax tua, turbeturuè quies mẽtis tuæ; sed in concussâ fide teneas, me semper Deum tuum omnipotentem magis amare te, quàm tu te ipsam, meq; tui diligentissimam habere curam, ac multo diligentiorem quàm tu. Quantò magis sic te mihi commiseris, dederisq;, tantò magis te adiuuans tibi semper adero; & tu ipsa clariùs cognosces, ac vberiùs senties circa te dulcissimam charitatem meam. Ad hanc autem perfectionem perueniri non potest, nisi per stabilem, constantem, & absolutam, propriæ voluntatis abnegationem; ad quam plurimùm iuuabit (vt ibidem subditur) cognitio sui, sicut etiam cognitio Dei, ad diligendum Deum, quæ ordinariè in Sacris Meditationibus exercetur, ac obtinetur.

CAPVT I.

De vnitate animorum.

Hæc igitur sunt, quæ vt obseruetis, præcipimus, &c.

PRoposito hoc tam insigni ac præstanti fundamento, cui tota Scri-

ptura Sacra innititur, & quod est robur salutis nostræ: B. Pater aggreditur superstruere suas præceptiones; ac primò hortatur ad vnitatem & concordiam, cum forti persuasione, vt rationem capiat ab illa nostra intentione, quâ ipsis initijs ingressi sumus hanc Religionẽ, quando non aliud cogitabamus, quàm vt iugiter in sanctâ professione, ad quã suâ inspiratione nos Christus induxit, communi charitate soli Deo conuiueremus; aliâs quis in hanc sodalitatem accessisset? Conuenit ergo, vt illam intentionem nostram semper in recẽti memoriâ habeamus; vt viuamus vnanimiter & concorditer, qui primus est charitatis fructus. Nec enim Christo cordi est congregatio dissentiens, qui, vt habetur *Ioan*: 17. rogat Patrem, ; vt vnum sint sui in ipso: & hoc est vnanimes esse, quod vnam animam habere; id est, in charitate consistere.

Adiecit autem: *In Domino*: vt per hanc particulam exploderet malè sibi consentientem societatem: neq; enim latrones, fures, alijq; malefactores, etsi se mutuò ament, & vnanimes sint; quia

tamen

tamen in malo, & non in Domino, charitatem habere dicuntur: quæ solùm in Domino quærit domicilium, & in ijs qui sunt ad diuina beneplacita concordes, residere putatur, quos etiam Deus ipse inhabitare facit vnius moris in Domo. Primum igitur præceptum Regulæ est, vt vnanimes habitemus in statu S. Religionis, idem sentiamus pro Deo, cœlo, virtute, ac bono S. Ordinis: indeq́ue mutuis consilijs, auxilijs, ac etiam communibus obsequijs, vt strenui milites, fideles cooperatores, probiq́ue filij, quos communis ratio boni vnum intendere cogit, nos iuuare inuicem parati simus, cùm propter id vnum simus congregati.

Est autem argumentum à necessitate causæ: quia propter id congregati sumus in vnum, ac ijsdem legibus obstricti, vt vnanimes habitemus in Domo; vt non sint in nobis schismata, sed vna anima, & cor vnum in Domino, procul sepositis priuatis respectibus. Nobis inquã, qui in Monasterio, Scholâ virtutis, Palæstrâ perfectionis, professione humilitatis ac innocentiæ, sumus

consti-

constituti. Dicit namq; Paulus : *Quæcunq; lex loquitur, his qui in lege sunt loquitur.* Rom: 13. Cogit ergo hoc præceptum nos, ad sui obseruationem.

PRAXIS.

Hieronymus Platus, lib: 3. Cap: 10. *Praxim vnanimitatis Claustralis, hoc modo innuit. Itaq; illam quoq; suauitatem affert hæc religiosa Societas, quod conuiuendo, frequentem, aut potius assiduam, præbet quodammodo officiorum copiam, quibus amor fraternus, quasi ignis suo pabulo alitur, aut augetur. Primùm consuetudine & vsu tam familiari, vt non possit esse interior, congressibus & colloquijs humanissimis; deinde beneficijs datis & acceptis, & vicissitudine quadam studiorum & obsequiorum non inaniũ; cuiusmodi inter seculares pleraq; sunt in speciem, & ad proprium fermè commodum; sed spiritualium, & in quibus nihil aliud quàm fraterna vtilitas, vel Dei honor quæritur.*

Potissimum verò medium, Calaguritanus parte 2. Instr: Nouit: Cap: 4. *præbet adseruandam vnitatem: Aliorum se moribus accommodare, quantum sine virtutis*

damno fieri valet; ac in ſemetipſo corrigere quidquid ob deformitatem alijs diſplicere poteſt. Deinde, aliorum errata, vel deformia, patienter ferre, nec ſibi moleſta eſſe, ſignificare. Demum, vt Seruatus in Opt: Reg: Specul: 39. habet. *Prælatus quantociùs bonorum diſſidia tollat, eorumq; concordiam conglutinet: deinde qui in malum conſpirant, abinuicem auellat, dimoueat; diſtrahat. Et quia virtutibus vitia contraria ſunt: prudentiſſimè vitium proprietatis; quod ex diametro virtuti vnanimitatis opponitur, ſequente præcepto à Religioſis propulſatur.*

CAPVT II.

De Voto paupertatis Religioſæ.

§ I.

Nec dicatis aliquid proprium, ſed ſint vobis omnia communia.

QVàm aptiſſimè præcepta ex præceptis naſcantur, & quàm pulchro ordine

ordine disponantur, vides: post geminam charitatem, vnanimitatem posuit, quòd effectus eius sit proprius; nunc quid maximè possit impedire, imò & rumpere vnanimitatem, cauet; & istud est vitium proprietatis, seu proprium: nam si id in sanctam congregationem irrepserit, dissoluta sit vnanimitas necessè est: propter enim Meum & Tuum, vniuersus diuiditur Orbis. Vbi operæpretium fuerit nosse per definitionem, quid sit proprium; in omni enim inquisitione oportet primùm intelligere, quid per nomen significetur, cùm id præcognitionem quandam afferat ad rei proprietates posteriùs cognoscendas. Vnde D. Augustinus, Manichæũ hæreticum ostēdit esse etiam inde grauiter lapsum, quòd nesciret quid esset malum, de malo disputaturus.

Proprium ergo, vt ad præsens pertinet, est, quidquid celatur Abbati, id est, occultatur Prælato; vel habetur sine legitimâ permissione, aut contra voluntatem eius. Fieri enim potest, vt illegitimam faciat quandoque permissionem, vel ex suâ deprauatâ voluntate

Prælatus, vel ob peruersam importunitatem, aut insolentiam subditi; vtpotè ad tenendam pecuniam, vel aliud, propter quod vitium proprietatis incurritur. Igitur vt penitus definitio posita explicet totam rationem definiti, sic illud definiri multis placet. Proprium est, ius aut facultas possidendi rem per se aliquam, aut per alium; vel illâ vtendi ex propriâ voluntate; & independēter à voluntate Superioris; vel quātum in ipso est, tanquam suam defendendi; siue cum permissione id habeat, siue non. Et hæc est perfecta proprij definitio, cuius cognitio abscindere potest omnem possessionem à professore integerrimo Sanctæ paupertatis; cùm per professionem iam non sit sui iuris: Quod si iuris sui non est, quæ iniuria, vt iam possidere nihil valeat? quæ peruicacia, vt audeat?

Vnde nota: quo die quis Regularem Professionem emittit, debet omnia relinquere, & nihil mundi retinere, triplici ratione. Primò: vt pacem cordis habeat, aliâs hanc non assequitur; sicut nec quis in sinu spinam abscondit, & non

non eijcit. Senecæ, grauis morum Magistri, sententia est: *Proijce quæ cor tuum laniant, quæ si aliter extrahi nequeunt, cor ipsum cum eis euellendum est.* Secundò, vt eum Deus totum habeat: nam si aliquid mundi à professione quis possidet; Princeps huius mundi, id est Diabolus, aliquid in eo habet, & non est totus Dei. Vult enim Christus nihil cū hoc Principe commune habere: *Quæ enim participatio,* dicit D. Paulus, *iustitiæ cum iniquitate, aut quæ societas luci ad tenebras? quæ conuentio Christi ad Belial?* 2. *Cor*: 6. Necessè est ergo, vt excussus expeditusq; sit ab his impedimentis, qui ad Religionis statum accedit, vt non retinaculis vllis retrahatur, prorsusque Dei sit ex toto. Tertiò, ne pro modico multa perdat. Religiosus enim habens proprium, amittit Deum. Augustini verba sunt in persona talium: *Ego per auaritiam meam non te amittere volui, sed volui tecum possidere: mēdacio te amisi, quia non dignaris cùm mendacio possideri.*

Porrò miseret me enumerare, quibus proprietarius exponat se periculis in Religione. Primum horum est, quia

eo facto est inobediens suæ Regulæ, quum, obseruare solemni voto se obstrinxit; est & periurus, quòd vouerit paupertatem, nec obseruat: est scandalosus, per quem plures labuntur. *Sed væ homini, per quem scandalum venit. Mat: 18.* Secundum, quia inobediens est Ecclesiæ, quæ cauet, ne quis Monachorum possit habere proprium. Sic enim legis *in Extrauag:* de statu Monach: *Cùm ad Monast:* Prohibemus districtè, in virtute Sanctæ Obedientiæ, & sub attestatione diuini iudicij, ne quis Monachorum proprium aliquo modo possideat: sed si quis aliquo modo possidet, in continenti resignet. Si verò deprehensus fuerit, regulari admonitione præmissâ, de Monasterio expellatur, nec vltra recipiatur, nisi pœniteat secundùm Monasticā disciplinam: & si in extremis circa aliquem proprium repertum fuerit, ipsum cum eo, in signum perditionis

sub-

ſubterretur. Tertium, quod horrendiſſimum eſt, quia proprietarius quodammodo eſt excommunicatus. vt habetur *in Extrauag: de ſtatu Monachorum.* vbi legitur: Monachus, qui peculiũ habuerit, niſi ei pro iniunctâ adminiſtratione ab Abbate permiſſum fuerit, à communione amoueatur Altáris: & qui in extremis cum peculio inuentus fuerit, & dignè nõ pœnituerit; nec oblatio pro eo fiat, nec inter Fratres ſepulturã recipiat. Quartum, fit irregularis, id eſt, ſine regula & lege: ſecundùm quod dicit Apoſtolus: *Quicunq; ſine lege peccauerunt, ſine lege peribunt: & quicunq; in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur. Rom: 2.* Ideò D. Bernardus: *Monacho habenti proprium, negabit Deus ſuum proprium, quod eſt miſereri & parcere.* Et proprietarij qui non conuertuntur, vt plurimùm malâ morte & ſubitaneâ moriuntur. *Sic mortuus Ananias & Saphira. Act: 7.*

Quàm prudenter ergo maximum hoc malum, hæc Sacra Regula à ſuis

professoribus remouet, cùm dicit: *Nec dicatis aliquid proprium*. Minùs est dicere, quàm habere: quòd si id quod minus est cauet, multò magis id quod est maius intercedit. Vel per id verbum, *dicimus*, vult significare quod habemus: vt sit dicere pro habere. Nec dicatis, id est non habeatis; vt qui in communem vitam iurâstis, stetis iureiurãdo vestro, vt cõmuniter habeatis omnia; qui vosmetipsos communes fecistis Congregationi: vt nemo vestrûm sui iuris sit. Hæc idcircò fusiùs tradidi, quod sit vnũ ex tribus professionis nostrę Votis, paupertatis votum, contra quod proprietas dimicat. Tu promissa Deo exolue, & ex dictis plura conijce. Hîc mihi statim exiliat quis, dicens: Fieri non potest, vt vita hæc præsidio careat suo; & donec in mundo sumus, multis circumuallamur necessitatibus; quis igitur prouidebit mihi? Ad hoc in promptu est responsio, in eo quod sequitur.

§ 2.

Et distri-

Et distribuatur vnicuiq; vestrũ à Præposito suo, &c.

TRia hic docemur : Primum est, vt à Prælato Domûs, vnicuique victus & tegumentum prouideatur, quibus solis contenti debent esse Religiosi; iuxta illud Apostoli : *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus. 1. Timoth : 6.* Nam soli necessitati naturæ, in sustentationem eius, prouidere debemus; & non intendere superfluitati, vt aliqui mundo dediti solent, qui cumulatis addunt, nec satiantur ad extremũ. Secundum est : vt non æqualiter omnibus prouisio fieri debet, sicut nec omnibus eodẽ modo infirmis prouidet Medicus, sed prout cuiusque naturæ complexio exigit : ita nobis, eò quòd non æqualiter validi sumus in fortitudine naturæ, sed alij alijs imbecilliores, iuxta requisitum necessitatis prouidendum. E. G. Hic Nouitius est mollius sustentandus, vt potè, teneræ complexionis, donec pertingat ad rigoris sufferentiã : ille sublimiter natus, aut de summâ di-

gnitate ingressus, ad tempus aliter fouendus est, quousque natura solidetur, & fractus non deficiat: paulatim namque durioribus assuescimus. Sic suos lentè habilitabat ad vitã Apostolicam Christus, eosdemq́; , vt essent norma sustentandi Nouitios, contra calumniatores sapienter simul & oportunè excusauit dicens: *Non possunt filij nuptiarum ieiunare, donec sponsus manet cum illis.* Sic fieri non potest, vt statim delicati Nouitij veteranis adæquentur, quos consultiùs paulatim assuescimus vitę austeritati, id est, abstinentijs, Vigilijs, alijsq́ue oneribus Religionis. Id quoque cura Matrũ edocet, quæ infantem molliori lactis suctu fouent; tum præmansum cibum ingerunt; postea alimẽta cætera, cautiùs expediunt.

Nemo tamen putauerit inde, gulæ studium à nobis persuaderi: non vtiq; , imò sicut summa cura in educandis pueris est adhibenda, ne à tenera ætate gulæ indulgere assuescant; sic in Religione ita fouendi & educandi sunt Nouitij, vt à delicijs desistant: non est igitur quod hic personarum acceptionem

innuam, sed occurrentis necessitatis subleuationem.

Tertium est quod docemur: Vt in commune congregemus; id est, vt proprietarij non simus; erimus autem, si in commune non congregauerimus. Domini vox est: *Qui non est mecum, contra me est: & qui non colligit mecum, dispergit. Luc: 11.* Hac Domini authoritate potest quilibet Prælatus cõtra proprietarios vti, ijsque statum primitiuæ Ecclesiæ, cuius post professionem Sacram imitatores facti sunt, reuocare: vbi credentes vendebant possessiones, & afferebant pretia rerum ante pedes Apost. *Act: 4.* opinor moti verbis Domini dicentis: *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælis: & veni sequere me. Mar: 10. & Matth: 19.* Item ex eo quod dicit: *Qui non renunciauerit omnibus quæ possidet, nõ potest meus esse discipulus. Luc: 14*

In summa, identidem considerent Prælati, ne fiant occasio proprietatis subditorum, si minùs necessitatibus eorum prouiderint. Non quòd & subditi à peccato immunes sint, dum pro libi-

tu suo res sibi comparant, aut ijs vtuntur, sed occasio mali eorum Prælati fiunt, ad quos pertinet dispensatio. Considerent etiam è regione subditi, ne cupiant præter victum & amictum, aliquid superflui: hæc enim sola posita sunt in Regula: Ego victûs & amictûs metior dispensationem iuxta facultatem Domûs, & labores subditorum. Vbi suâ diligentiâ Prælatus adniti debet, ne quasi inuitus, sed liberè; non tristis, sed hilaris; non turbulentus, sed mitis; non improperans, sed exhortans necessaria distribuat: ac semper vt melior à se discedat subditus, agendum est Prælato.

§. 3.

Rursus qui aliquid habebant in sæculo, quando ingressi fuerint Monasterium, &c.

INstituerat Sermonem de non habendo proprio: copiosiùs eundem complet & producit, & tantâ contentione, & ani-

& animi vi; tantâ prudentiâ & circumspectione, vt nihil abesse queri possit. Hic autem cùm dicit: Rursus qui aliquid habebant in sæculo, quādo ingressi fuerint Monasterium, libenter velint illud esse commune. Confirmatio videtur superioris Sentētiæ; quâ depulit proprium à S. Religionis professoribus. Ac si diceret: Tantum abesse debebit proprij possessio à professo Fratre, vt ne his quidem qui nouiter ingressi sunt, etsi improfessis, permitti poterit aliquid possidendum; sed quod intulerint, velint illud esse commune.

Quæres: Vtrum Religionem intrans, & in illam bona sua inducens, faciat secundùm Domini consilium, vbi dicit: *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus* Matt. 19. Videtur enim quòd non impleat hoc consilium, eò quòd non distribuat pauperibus quod secum induxit, sed sibi retineat cum alijs, quorum sodalitatem intrauit? Respondeo: Si diligenter rem volumus intueri, non obstante, quòd de eis in posterum aliquid cadat in suum

vsum,

vſum; plenè conſilium Domini, intrãs ſic Religionem, implet. Vadit enim ille, qui à ſua voluntate recedit; vendit, qui nihil ſibi derelinquit: vt ſcilicet in primo abnegatio propriæ volũtatis ſit, quod maius eſt, quàm rerum à ſe alienatio; eò quod nihil carius habeat homo, nihilq; tenacius ſit illi, quàm ſua voluntas: vt magis poſſibile ſit omnia, quantumuis magna & multa, relinquere homini, quàm ipſam voluntatem. Hoc ergo eſt, quod primò, & præcipuè amiſiſſe debuimus, vt de cætero, non noſtra ſed aliena volũtas vigeat in nobis, ſumpta pro noſtrâ, & tanquam noſtra habita; ſicut truncus inſitum ramuſculũ, velut ſuã fouet arborẽ, in fructus, cùm multiplices, tum ſuaues. Porrò in ſecundo verbo: videlicet, *Vende*. alienatio temporalium rerum indicatur; quod abundè implemus, dum voluntariè pauperibus, id eſt Fratribus, res noſtras communes facimus. Num tibi, oro, pauper videtur profeſſor vitæ regularis? aut vter magis hoc nomine inſigniendus, quem fecit neceſſitas, an quem fecit voluntas? Equidem quem

fecit voluntas; qui causâ Dei omnia reliquit, & seipsum Deo obtulit; qui nihil in mundo vult habere proprium, quãtum vel vno passu metiaris. Sunt multi pauperes, necessitate magis quàm voluntate (nisi cui necessitas ipsa, versa sit in voluntatem) quorum multis paupertas grauis fit, & odiosa: grata autem voluntarijs, qui inde placent Deo, quia propter amorem Christi, paupertatem Euangelicam sponte elegerunt.

Sed quid sibi vult, quod sequitur: Qui autem non habebant, non ea quærant in Monasterio, quæ nec foris habere potuerunt. An ita intelligendum? Vestem non habebant, non igitur danda eis? panem non habebant, negandus illis cibus? Non vtique. Sed hoc præcipitur, vt non superflua habere velint; atque vt contenti sint his, quæ illis conceduntur ad vsum, pro necessitate tantùm subleuanda, non pro superfluitate, qui foris vix fortè ipsa necessaria habere potuerunt.

Ideò sequitur: Sed tamen eorũ infirmitati, quod opus est tribuatur,

etiamsi paupertas eorum talis erat, quando foris erant, vt nec ipsa necessaria poterant inuenire. Neque enim secularis fortuna in Religione est adeò spectanda, vt pro modo conditionis cuique prouideatur, considerando videlicet, an fuerit splendidus, obscurusuè, diues an pauper, alioqui vitio acceptionis minimè carebitur.

In summa, præcipit Regula, vt qui ex paupertate aduenient, non quærant superflua, sed vt collatis sint contenti. Docentur & hîc Prælati, vt necessaria administrent subditis: ita, vt duplex sit verbi sensus, alter ad subditos deflectēs, alter ad Prælatos. Quidam enim venientes de paupertate, quærunt in Religione abundantiam; contra quos D. Hieronymus ad Heliodorum: *Ditiores sunt*, inquit, *Monachi, quàm fuerunt seculares.* Imò non solum quærunt abundātiam, sed etiam delicata. Vnde idem Sanctus: *Natus*, inquit, *in paupere domo, in tugurio rustico, qui vix millio & pane ventrem rugientem cibare poterat: nunc similæ, nunc mella fastidio ei sunt.* Sed nostro ma-

stro malo irrepsit,& aliud quoq; inconueniens; vt hîc clari esse velint, obscuri antea, honores quærerent ignobiles, cõcilient fauores apud summos, contrahant amicitias. Sicnè itur ad astra? Audiant ij D. Bernardum: *Plerique in domo Domini, non patiuntur contemni, qui in suá nonnisi contemptibiles esse potuerunt.* Magna abusio, vt in loco paupertatis, vbi diuites incurrunt penuriam, paupe-res quærant abundantiam; in loco afflictionis, vbi diuites delicati mortificantur, homines rusticani quærant delicias; in loco vbi honorati eligunt abijci, ibi abiecti quærant honorari.

PRAXIS.

PRaxim paupertatis Euangelicæ introducere Superiori Regularium, uti fideli dispensatori rerum Conuentûs sui, seu potiùs bonorum Christo dicatorum, ex officio suo incumbit. Modo pro cautela ponere hîc sufficiat doctrinam Calaguritani, in Instr: Nouit: parte 2. *Nocendi genus miserrimum est, vt qui ampla patrimonia, vel alia pretiosa respuerunt, vnius libri vestis, vel aliarum*

nullius pretij rerum, amore capiantur: quod propterea vigilantissimè cauẽdum est; & affectus istiusmodi, per actus paupertatis acquirendæ internos, sæpiùs cupiendo ex animo pauperem Christum sequi, repurgandus, simulq; per actus exteriores exercendus.

Vnde Religioso, frugali victu (vt rectè idem author ibidem, & Aluarez de Paz, Tom: 2. de Virt: acqu: docet) *simplici vestimento & cellâ, opus est contentari. Seipsum rebus necessarijs, ipso etiam cibo & potu, indignum reputare: si aliquid à Superiore tollatur, minimè turbari, multò minùs murmurare. Paratum esse semper ad resignandum omnia in manus Superioris. Superflua nulla recipere; quin si aliquid deest, patienter ferre: quod enim genus paupertatis, cui nihil deest?*

Sed maior abusiò, dum hi, qui priùs in sæculo de labore viuebant, ibi volunt otiosam ducere vitam, aduersùs quos fremit illa vox Apostolica: Qui non laborat, non manducet. *Et hic communis est ferè morbus, vt humilis, altior quærat videri; contra quod omnis acies sermonis dirigitur, ad initium sequentis Capituli.*

CAPVT III.

De Humilitate.

§ 1.

Tamen non ideò putent se esse felices, &c.

FElicitas hîc, ex loci circumstantia, in malam partem accipitur pro superbia: cùm enim duplex sit hæc; altera mundana, cœlestis altera; qui mundanâ felicitate sunt pleni, vt puta, diuitijs, honoribus, & id genus alijs mundi supellectilibus, vt plurimùm turgidi sunt & inflati, & qui cæteros nauci faciunt, se amantes, alios contemnentes. Quos autem egestas rerum compresserit, in ijs videas spiritum humilem, deiectumque, & qui supplex sit, aliorumque imploret auxilium. Id verò subinde procedere solet, vt ex his qui statuuntur ad fortunatiorem statum, tantò vehementiùs efferantur, prioris statûsque, sortis, ac conditionis obliti; quod in Religione vsu euenire quandoque solet:

vbi duplicem habent intumeſcendi cauſam: alteram, quia inuenerunt victum & tegumentum, qualia foris, id eſt, dum in ſæculo agerent, inuenire non potuerunt: alteram, quia aſſociantur magnis, ad quos foris ne quidem accedere audebant, modò facti pares. Cauet ergo, ne vtrauis ex cauſâ hîc ſuperbiatur, vbi eſt humilitatis profeſſio; imò vbi ſimplici animo eſt ſimplex Chriſtus imitandus. Ideò enim mundum reliquimus, ne mundus ſuos nos agnoſcat; agnoſcet autem, vbi vitia eius cœperimus imitari, horum, & primum & inſigne, Superbia eſt: ideò & hominibus odioſa. Contra tales ergo illud monitum D. Pauli aſſumitur: *Si conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt quærite, vbi Chriſtus eſt ad dexteram Dei ſedens; quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram. Coloſ: 2.* Vos eſtis, Fratres, ad quos deriuatur ſermo Apoſtoli, qui depulſa morte vitiorum, in vitam virtutum cõſurrexiſtis: conſentaneum igitur eſt, vt conuerſatio veſtra ſit in cœlis, nec iam ampliùs actiones vitæ veſtræ ſecũdum rationes terrenas, ſed ſecundum cœleſtes ac

stes ac diuinas dirigatis; & sursum corda vestra, non contra Dominum, sed ad Dominum, cum deuotâ animi submissione, eleuetis.

Quod verò addit: Nec erigant ceruicem; ad eandem sententiam refert: hoc enim nomine superbia in S. Scriptura solet designari; vt ostendit illud: *Contra omnipotentem roboratus est; cucurrit aduersus eum erecto collo.* Et in Hierem: conqueritur Dominus: *Indurauerunt* (inquiens) *ceruicem suam, & non audierunt sermonem eius. Hier:* 19. Hoc exprobrat & Stephanus primus Martyr, Iudæis duris, ac supetbis, inquiens: *Durâ ceruice, & incircumcisis cordibus. Act:* 7. Magna apparuit indignatio omnipotentis Dei, contra hoc vitium: primò contra superbientes Angelos, quos deturbauit de cœlo; tum contra omnes alios, qui illud sequentes, miserè perierunt. Vnde optimum est, sequi Dei voluntatem in humilitate: *Quia excelsus Dominus, & humilia respicit.* Psal: 132.

Sequitur: Ne incipiant Monasteria diuitibus esse vtilia, non pau-

periorus: si diuites humiliantur, & pauperes illic inflantur. His verbis ostendit, solis humilibus vtile esse Monasterium. Si enim superbis Angelis non fuit vtile cœlum, quonam pacto talibus vtile erit Monasterium? Nunquid Monasterium cœlo dignius, aut feracius virtutum? Hîc animaduerte, quantumcunque sanctus locus sit, sanctus sit habitus, sancta opera; omnia vno tractu tollet superbia, vt cæterum inutilia sint: humilibus è contra, omnia vtilia meritoriaque, si sunt, qui ex corde diligunt Deum.

§ 2.

Rursus etiam illi, qui aliquid esse videbantur in sæculo, &c.

QVemadmodum præceptum dedit eis, qui ex tenuiore fortunâ ad Monasterium accedunt contra fastum & superbiam, ne videlicet vllâ ex occasione insolescant: Sic modo eis, qui feliciore sorte relictâ, in sanctam pauper-

tatis Congregationem sese amore Dei, suæq; salutis ingessere, aduersùs idem malum legem dare intendit, quâ se premuniant, ne incauti labantur, dicens: Rursus etiam illi, qui aliquid esse videbantur in sæculo, &c. Simili modo locutionis vtitur S. Paulus, scribens Galatis, Cap: 2. *Contuli* (inquiens) *cum illis, qui videbantur aliquid esse de summis illis Apostolis, Petro & Iacobo, aliisq; quibusdam, qui primitias spiritûs acceperunt*: intelligens, *aliquid*, id est præcipui æstimatione; similiter & hîc aliquid de præcipuo intelligitur. Itaq; ij quorum nominis dignitas veneranda fuit, Spiritu Dei afflati, attractique virtute eius, dum in Sanctam Religiosorum Congregationem adueniunt, ne fastidiant Fratres suos, qui ex obscuro sordidoq; loco paupertatis adueniunt. Solent enim illos, quemadmodum & hos, noxiæ cogitationes instigare de his rebus, quibus olim eminebant, vt contemnãt eos, quibus se non æquant, metientes se, non quales modò, sed quales fuerũt antea, qualesque nunc alij. Sed non sic

petitur cœlum : tu tibi reuocas in mentem, qualis eras antea ; & ego tibi te propono, qualem te effecisti propter amorem illius, qui cùm diues esset, propter te pauper fieri voluit, vt tu paupertate eius in æternâ beatitudine ditesceres; qui pro te multa tulit, sudauit & alsit, contemptibilem se fecit, omnibusq; abiectiorem, vt vix in hominum numero recenseretur, diceretque : *Ego sum vermis & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis. Psal: 21.* Vermis apprehensus extremis digitis, facilè ad petrā atteritur, vel pede conculcatur : sic & Christus attritus propter scelera nostra, non se æstimabat à genere dum extrema pateretur ; dum ignominiosum crucis supplicium perferret ; dum in similitudinem carnis apparuit, peccatum pro nobis factus : prout testatur Apostolus.

Quid itaque intumescis, quid superbis vermis & puluis ? nunquid tu maior es illo, à quo omnis nobilitas, omnis eminentia procedit ? Si illius amor huc te traxit : iam cum omnibus fortunis vanas complacentiæ tuæ cogi-

tationes reliquisse debueras *Gaudet verè humilis, vilipendi magis quàm honorari,* teste D. Bernardo: & quò ampliùs cognoscit id quod est in se, eò amplius se Deo submittit, ac in Deum omnia bona, sibi indigno ab eo concessa, gratanter & humiliter refundit. D. Iacobus dicit: *Nonnè pauperes elegit Deus diuites in fide, quibus inclinat ceruicem orbis.* Quàm itaque consentaneum, ac planè necessarium est, obtemperare præcepto Regulæ dicentis: Magis autem studeant, non de diuitum parentum dignitate gloriari: quia iuxta supradicta, contemnenda sunt omnia, propter gloriam nominis IESV, & salutis amorẽ.

§ 3.

Nec extollantur, si communi vitæ aliquid de suis facultatibus contulerint, &c.

PErsistit in continuatione sermonis, aduersùs pestem Superbiæ, eamque extollentiam hîc vocat, vt ante ceruicis

erectionem: solet enim & S. Scriptura his metonomijs vti, ornatûs causâ, & vt proprietatem rei magis indicet. In vtrisque enim est quædam altitudo, dũ superbientes nituntur alios excedere, quatenus appareant alijs, quasi in immensum euecti virtutibus. Dicit ergo: Nec extollantur: hoc est, non ex eo superbiant, sibi intra se peruersè applaudentes, nec supra alios se hinc existiment, quasi laude digniores; si de suis facultatibus, id est, bonis temporaneis, aliquid communi vitæ largiti sint. Nota: quod hic docemur, Nouitium Monasticam vitam amplectentem, debere bona sua secum importare potiùs, quàm foris in diuersa dissipare: subleuanda est enim communis vita in quam venimus, à quo, vel à quibus fieri potest; nec consilium dandum, vt foris facultates suas relinquant, nisi velint singulariter egestatem parentum, aut sanguine sibi iunctorum, in parte adiuuare. Est enim placita Deo Reipubl: promotio, etiam temporaneis hisce bonis; vt habeant Fratres, vnde vitam in dies sustentent: tamen non

ex eo superbia cordi induenda, quasi optimè, hoc facto, de Ordine Fratribusque meritus quispiam sit; nam præstaret in sæculo diuitias possidere, quàm in Monasterium distribuere, & ex hoc gloriari. Quisquis enim ex benefactis intumescit, eo ipso tramite, quo proficit, cadit: bona quippe actio cum elatione, non leuat, sed aggrauat, & ad infernum deprimit; iuxta illud Saluatoris: *Qui se exaltat, humiliabitur.*

§ 4.

Alia quippe quæcunque iniquitas, &c.

REdditio rationis, superioris sententiæ, est intexens miseriam, latamq; malitiam superbiæ. Cùm enim alia vitia nunquam nisi in malis infamibusq; diuersentur actionibus, nec vllum suas metas transgrediatur: sola superbia lõgè latèque euagando, etiam bonarum actionum campos ingreditur, ibique omnia deuastat, vt cuncti fructus pereant, qui alioqui seruarentur in vitam, nisi pe-

nisi peste hac corrumperentur. O quoties in te bene agentem intrat hæc cogitatio! quasi meliùs inter mortales id ageres: oras deuotè; surrepit tibi, neminem te sanctiùs id agere: præstas consilio; iam crista tibi erigitur, veluti honore ab omnibus dignus sis: reluces castitate; fastidis non æquè tibi candentes: patienti corpore inediam toleras; execraris manducantem: canis sonanter; gloriam inde venaris: dimisisti multa, pecuniam, domum, rem familiarem; iudicas ex æquo hinc tibi deberi cœlū: & ne omnem catalogum piæ actionis percenseam, dico breuiter, nihil tutum esse ab hac insanâ bestiâ. Quo enim se nō insinuet animi reputatio, & ea ipsa, quæ ob sui altitudinem, superbiæ nomen iam pridem, antiquorum donatione, recepit sui complacentia, aut appretiatio? Quod vitium, cùm sit omnium nocentissimum, & quo non sit aliud peius, quod plura citiusuè deperdat: totâ circumspectione vitandum est ab omnibus illis, qui soli Deo placere sincerè studuerunt. Hinc D. ille Psaltes precabatur: *Non veniat mihi pes super-*

biæ:

biæ: hoc est, ipsa voluntas placendi mihi, quâ super alios putans me existenté, intumescam, & agam contra te, neglectis præceptis tuis, quæ per se sanctissima sunt, & obseruanda. Legimus Tobiam senem, quàm sanctissimè filium erudientem: *Superbiam nunquam in tuo sensu, aut in tuo verbo, dominari permittas. Tob: 4.* Scriptum est quoque Eccles: 10. *Odibilis coram Deo & hominibus superbia, quam qui tenebit, maledictis implebitur, & subuertet eum in finem.* Etenim propter hanc exhonorauit Dominus conuentus malorum, & destruxit eos vsque in finē. Ideò rectè dictum est: Alia vitia, vti sunt furtum, parricidium, raptus, & id genus alia, in malis perpetrari: solam superbiam, etiam honestis in rebus, & quę per se laudabiles sunt, versari, vt vno tractu tollat omnia, nec in gloriam coram Deo sinat enasci.

Contra quod sequitur: Et quid prodest dispergendo dare pauperibus, & pauperem fieri, cùm anima misera superbior efficitur, diuitias contemnendo, quàm fuerat possidendo?

dendo? Equidem ne minimùm proderit elata paupertas, cùm multò commendabilior sit peccator humilis, etiam in medijs diuitijs, quàm elatus in tenuitate Religiosus. Igitur inprimis discenda est præ omnibus humilitas, ad quam sectandam, Leo Papa Ser: 7. Epiph: nos grauioribus verbis incitat: *Vnde tota* (dilectissimi) *Christianæ sapientia disciplinæ, non in abundantiâ verbi, non in astutiâ disputandi, neq; in appetitu laudis & gloriæ; sed in verâ & voluntariâ humilitate consistit: quam Dominus* IESVS *ab vtero Matris, vsq; ad supplicium crucis, pro omni fortitudine, & elegit, & docuit.* Et D. P. Augustinus in alio loco docet, omnẽ virtutem humilitate contineri. Cùm enim dixisset, ad Dioscorum scribens, omnium Philosophorũ ceruices Christo oportere submitti, hæc subdit: *Huic te, mi Dioscore, vt totâ pietate subdas, velim: nec aliam tibi ad capessendam & obtinendã veritatis viam munias, quàm quæ munita est ab illo, qui gressuum nostrorum, tanquam Deus, videt infirmitatem. Ea est autem prima humilitas, secunda humilitas, tertia humilitas; & quoties interrogares, hoc dicerẽ:*

non

non quòd alia non sint præcepta quæ dicātur; sed nisi humilitas omnia quæ bene facimus, & præcesserit, & comitetur, & consecuta fuerit, & proposita, quam intueamur; & apposita, cui adhæreamus; & imposita, quâ reprimamur; omnia pereunt necesse. Hac viâ progressus cùm sit Christus, hac Sancta eius Mater, hac summi illi Principes orbis Apostoli, & quicunq; ab initio Deo placuerunt: quantum dedecus fuerit, cuipiā nostrûm ab illa deflectere?

§ 5.

Omnes ergo vnanimiter & concorditer viuite, &c.

GEneralis conclusio est præmissarū præceptionum, vt in communi vitâ concorditer viuatur: alioqui congregatio dissentiens, Conuentus appellari non poterit, magis conciliabulum discordiæ: tantum aberit, vt templum Spiritus S. quisquam sit ex eis, qui nō vult vnanimitatem. Vnanimiter ergo illi viuunt, qui in seipsis inuicem Deum honorant, cuius Templa facti sunt vnanimiter

nimiter viuentes: aliâs non templa Dei erunt, quos obsidet Dæmon, qui in eis parat diuisionem, author omnis discordiæ. Porrò vnanimes, sibi non detrahunt, se non mordent, nec aliquo modo molestant; sed compatiuntur infirmitatibus aliorum, & aliena mala deputant sua; quanquam nihil est alienũ in verè Religiosis, quibus sunt omnia communia. Dicitur ergo: Omnes vnanimiter & cõcorditer viuite, &c. Ac si dicat: Quia Deus æquè vos coadunauit sibi, suæque mansioni, in templa; nihil est quod alter alteri præferatur, sed omnes vno modo sitis, quatenus vnanimitas, concordia, & humilitas, maneat in vobis, honore inuicem præuenientibus, sicut verè estis honorandi, quia estis templum Dei.

PRAXIS.

Sicut charitas est anima omnium virtutum: sic humilitas, cum fide Theologica, earundem fundamentum. Illius Praxis hic ponitur ex Iac: Aluarez de Paz, Tom: 2. lib: 3. par: 2. cap: 10. desumpta.

1. Sei-

1. Seipsum agnoscere, & omnia dona, tum naturalia, tum supernaturalia, aliena esse, nempe Dei, verissimè profiteri; & se ex se nihil boni habere, sine vllá fictione cogitare.

2. Seipsum despicere, & quoad ea quæ ex se habet, seipsum vilipendere, ac de seipso diffidere.

3. Seipsum, exceptis Dei donis, indignum reputare, & ad recipienda ineptum, talemq́ue se quisq́ue potest æstimare, sine vllá falsitate: quia reuera talis est, secundùm ea quæ ex se habet.

4. Nullam laudem ab alijs quærere: sed omnem honorem sibi exhibitum, in Deum reijcere.

5. Desiderare, quantùm in se est, contemni, & vilis haberi; nisi aliud personæ dignitas, officij qualitas, proximorum ædificatio, & Diuina gloria requireret.

6. Proprios defectus libenter detegere, & ingenitam vilitatem declarare; nisi Fratrũ ædificatio, & voluntas Dei aliud suadeat.

7. Dolere, quod magni fiat & honoretur, nisi ob gloriam Dei, ratione officij, aut dignitatis quam gerit; & omnem gloriam, auctoritatem & honorem, quem vitare non decet, in Deum suum Auctorem referre.

8. *Censere se omnibus viliorem, secundùm ea quæ ex sei ipso sunt; & in alijs diuina dona considerare.*

9. *Subijcere se Deo, tanquam mancipium Domino, vel tanquam testa figulo, vt de se, ad suum placitum, in hac & in aliâ vitâ disponat.*

10. *Subijcere se hominibus propter Deum, præcipuè Superioribus; ac se sincerè, sine vllâ difficultate velle gubernari.*

11. *In externis functionibus, quantum est in se, abiectiora amplecti: vt latus sinistrũ in congressibus, locum infimum in consessibus, officia minus honorata, deteriores vestes, pauperiorem supellectilem, incommodiorem cellam, simpliciores Socios, & huiusmodi. Hæc in affectu: nam in opere debet se accommodare muneri, ac dignitati, quam gerit.*

12. *Seipsum tandem, in conspectu Dei & hominum, canem mortuum & fætentem reputare, quem omnes fugiant, omnes vel conspectum eius exhorrescant. Hæc ille.*

CAPVT IV.

De Oratione.

§. 1.

§ I.

Orationibus instate, horis & tẽporibus constitutis, &c.

NOn satis est Religiosos vnanimitatem & concordiam in Congregatione obseruare, nisi etiam studeat se in bonis operibus exercere. Maximè enim quadrant illa verba Christi ad Apost: directa, *Ioan: 15.* Religiosis, vtpotè primitiuæ Ecclesiæ, & Apostolicæ vitæ sectatoribus: *Ego elegi vos, & posui vos, vt eatis & fructum afferatis, & fructus vester maneat*: vt in statu professionis suæ in quo positi, ac veluti fructiferæ arbores plantati, fructus commodos variarum virtutum, præcipuè ad promotionem cultûs Diuini, & ornatum Ecclesiæ producant, inter quos potissimũ videtur habere locum orandi assiduitas. Quamuis enim oratio specialiter sumpta, quatenus significat petitionẽ, aut postulationem, sit instrumentum ad bona opera acquirenda, cùm iuxta promissum Saluatoris omnia possit impetrare:

petrare: generaliter tamen comprehēdit alias optimas animi actiones; vtpotè, gratiarum actionem, deuotionem, seu promptitudinem voluntatis ad placita Dei exequenda, reuerentiam Dei internam, adorationem, & alias animi affectiones erga Deum; ex quibus deinde sancta verba, & studiosa virtutis opera prouenire solent. Et de tali oratione, quantùm Deo placeat, *Apoc: 8.* fit mentio: *Ego Ioannes, vidi fumum ascēdere incensorum, de orationibus Sanctorum.* Vt rectè præceptum sit in Regula: Orationibus instate, horis & temporibus constitutis. Quid est instare Orationibus, nisi frequentes esse in Oratione, & non deficere? Sicut & Dominus dicit, Luc: 18 *Quoniam oportet semper orare.* Et Paulus, *Thes: 5.* præcipit, sine intermissione orare. Est autem hic locus Regulæ sumptus ex Epist: *Colos: 4.* vbi sic legis: *Orationi instate, vigilantes in ea.* Idē S. Apost: hortatur, *Philippen: 4. & Thessalon: 5.* vt per omnem orationem, & obsecrationem, orantes omni tempore in spiritu, & in ipso vigilantes, in omni instantiâ bono intendant, Prophetis

vacent,

vacent; vt spiritu,& animo integro corporeque, sine querela coram Christo inueniantur. Hortatur & alibi persæpè, ad vigilantiam & orationem; quòd per hanc magnæ tentationes pellantur à nobis, quibus expositi sumus. Equidẽ tantò vtilior, quantò crebrior, solet esse oratio: nam quò crebrius oratione pulsatur Deus, eò faciliùs ad exaudiendum inclinatur.

Adiecit autem: Horis & temporibus constitutis: quandoquidem nõ semper eisdem intendere possumus, vt potè minùs idoneis temporibus. Proinde illud Domini verbum: *Oportet semper orare*: referendum est ad certa tempora; licet semper orare dicatur, qui inuigilat, vt bene semper viuat: nã & re ipsa illos deuotionis affectus, quos tempore orationis habuit, præ se fert; dum, E.G. cauet in omnibus, ne gratiam Patris cœlestis amittat, vt nomen Dei sanctificetur, voluntas Dei in suis actibus impleatur, proximo bene fiat, &c. Ideò consultissimè subiunctum est: *Et non deficere.* Vel sic intellige: Ne ita declinemus ab oratione, vt nolimus

amplius orare. Quod & Apost: innuit dicens: *Sine intermissione orate:* ille enim verè intermittit, qui non vult vltrà orare, quasi precem contemnens, & ipsum Deum negligens.

§ 2.

In Oratorio nemo aliquid agat, nisi ad quod factum est, &c.

CVm plùs sit nobis orandum spiritu, ac mentis intentione in Deum, quàm labiorum motu; ideò in oratione sic agendum est, vt mens quiescere possit ab alijs curis, iuxta S. Regulam: vt nemo orans alteri negotio intendat, nullus suo strepitu, aut mussitatione, alterius orationem perturbet: quinimò ita quisq; sit in oratione compositus, vt expeditiùs spiritus eius in causa sua agere valeat ante Deum, ante quem eleuatus versatur, & consistit. Nam & oratio ipsa sic definitur: vt sit eleuatio mẽtis in Deum; quod si hoc verum est, ergo plus spiritu orandum, quàm labijs. Quod & ipsa veritas ostendit, dicens:

Isa: 4. *Spiritus est Deus, & eos qui adorant, cum spiritu & veritate adorare oportet.* Nisi enim attentionem requireret, nequaquam illis verbis vteretur: nam in veritate adorare, est interiùs orare; quod fieri non potest, nisi inprimis recollectus sit orans, & cogitatione intendat quod orat. Aliâs si dissentiat mens ipsa à linguâ, non in veritate oratur: veritas enim est adæquatio rei ad intellectum; res ipsa oratio est, quæ tunc adæquatur ad intellectum, quando cogitatio ipsa intendit ad id, quod lingua depromit; vt rectè admoneamur, non aliud nos debere agere in Oratorio, quàm orationibus vacare, ne eiusmodi intentio turbetur orantis in ipsa meditatione. Ideò Dominus ait, Isa: Cap: 6. *Domus mea, domus orationis vocabitur.* Idem citatũ est à Domino, *Matth: 25. Luc: 19.* Vbi nota, quod tria orationi competunt: instantia videlicet, intentio, & deuotio. Instantia in sollicitudine; intentio in cogitatione; deuotio in affectione consistit; quibus orantem instructum esse oportet.

§ 3.

Psalmis & Hymnis cùm oratis Deum, hoc versetur in corde, &c.

MAteria orationis exprimitur, cùm dicitur: Psalmis, & Hymnis. nam & Dauid his orare nouerat, doctus à Spiritu S. à quo plura mysteria acceperat: ideò aiebat: *Confitebor tibi in vasis Psalmi, veritatem tuam, Deus, psallam* Psal: 70. Item Psal: 99. *Introite portas in confessione, atria eius in Hymnis, confitemini illi.* Et Psal: 176. *Hymnum cantate nobis.* Item Psal: 148. *Hymnus omnibus Sanctis eius.* Dicitur ergo: Psalmis & Hymnis, cùm oratis Deum, hoc versetur in corde, quod profertur in ore. vbi propositio est duplex sensu, compositione simplex; nam duo præcepta innuit. Prima pars sensus est, vt orare debeamus Deum Psalmis & Hymnis. Id est: Horæ Canonicæ in his persol-

uendæ sunt, iuxta institutionem Ecclesiæ, vt non possit hæc obligatio aliâ lectione Scripturæ suppleri, etsi Sacræ; cùm non sit hæc ordinatio Ecclesiæ. Altera pars propositionis in sensu eius: Vt hoc versetur in corde, quod profertur in ore: fidelis namq; & prudentis Oratoris munus est, vt cum intelligentia verba enunciet sua, & affectu. Debet ergo quisque attendere ad ea quæ dicit: Siquidem oratio sine attentione & affectione supplici, proinde est atque lampas sine oleo; fumigare potest, non lucere.

Fateor equidem, in continenti prolixaque maximè oratione id fieri posse difficillimè, vt semper id attendat mēs nostra, quod ore proferimus, cùm & in breiusculâ oratione subinde rapiamur ad alia: attamen hac in re, virtus primæ intentionis hāc iacturam reparare poterit, dummodo seria animi præparatio orationi supponatur, nec contrario actu interrumpatur. Euagatio namque mentis (inquit S. Basilius) in oratione peccatum est, quoties ex proposito fiat,

vel ex negligentiâ. Proinde viri doctissimi, considerantes humanæ mentis mobilitatem, censuerunt, distractionē inuoluntariam in oratione culpâ vacare: ideò hîc prima intentio ante orationem, & conatus attentionis, in procursu illius, sub præceptum videtur cadere; iuxta illud, Eccles: 18. *Ante orationē præpara animam tuam, & noli esse quasi homo qui tentat Deum.* Et Eccl: *Ne temerè quid loquaris; neq; cor tuum sit velox ad proferendum sermonem coram Deo.*

Quod verò de cantu præcipitur, in eundem sensum est, vt non temerè fiat cantus Ecclesiasticus, & iuxta arbitrium diuersorum; quemadmodum fieri solet in cantilationibus vulgi. Psalmi etiam cùm pronunciantur, aut lectiones, pro modo Ordinis id fieri debet; maximè vt puncta obseruentur, & ne nimis in recitando celeres simus, nec nimis tardi, velut qui vinculis ab incessu regulato impediuntur: sed sicut Oratorum mos est, verba medio modo tractare, vt nec tardi simus, nec præcipites.

PRAXIS.

PRaxim deuotæ orationis, facilè addiscere poteris à mendicis stipem postulantibus, aduertendo, quantâ illi reuerentiâ, humilitate, studio, alijsq; cæremonijs, supplicant suis Prouisoribus: quod eleganti apophtegmate Drexelius ostendit in Rhet: cœl. Moraliter autem semper orabis, si orationibus eiaculatorijs, more illorum qui sunt optimè Deo affecti, sæpiùs vteris: desumes tibi plurimas ex S. Psalmodia, ex libr: Confess: S. Augustini, Soliloquijs, & Meditationibus eiusdem. Vel si quâlibet horâ, si non frequētiùs, Patri cœlesti, penes merita Christi, B. Virginis Mariæ, & SS. Patronorum, te cum pio affectu offeras: vt optimè Calaguritan: in Instr: Nou: lib: 2. par: 3. Cap: 2. Præcipuè autem ipsam orationem Dominicam in iugi memoria habebis; cuius partes si deuoto ac sincero affectu vsurpaueris, magnū profectum in spiritu acquires, multaq; tibi, & alijs etiam fidelibus defunctis, impetrare poteris: de quo D. Cyprianus, de Orat: & multi post illum. Maximè si eius singulæ partes, singulis virtutibus Christi applicentur, &

per eas

per easdem, ac per crucem, sanguinem, & passionem eius, obsecretur.

Pro Praxi sacræ Psalmodiæ, habet Bellarminus insignem doctrinam in Psal: 37. ℣. 3. *quam hic subscribo: Sic etiam,* inquit, *per illud*(Bene psallite ei in vociferatione.) *Et infra, in Psal: 46. ℣. 6.* (Psallite sapienter.) *admonemur, dum psallimus, bene facere hoc diuinum opus; attentè, deuotè, magno cum affectu, & cordis iubilo.* S. Benedictus in Regula sua monet: *Psalmodiam esse opus Dei, & ideò cæteris omnibus anteponendam.* Et S. Bernardus, Ser: 47. in Cant: *Vos,* inquit, *moneo, dilectissimi, purè semper, ac strenuè, diuinis interesse laudibus: strenuè quidem, vt sicut reuerenter, ita & alacriter Domino assistatis. Non pigri, non somnolenti, non oscitantes, non parcentes vocibus, non præcidentes verba dimidia, non integra transilientes, non fractis & remissis vocibus, muliebre quidpiam balbâ de nare sonantes; sed viuido, vt dignum est, & sonitu, & affectu, voces S. Spiritus depromētes.*

Rectè autem subdit Author: Cum affectu. *Nam hic est fructus Psalmodiæ, vt pij affectus per ipsam excitentur, tam in nobis, quàm in alijs. Idcircò hîc pro ampliore*

exerci-

exercitio, aliquos affectus Psalmodiæ, qui in libris Spiritualibus circumferũtur, indicabo.

Tres existunt ex laude Dei.

Primus est, dilectio, cùm prædicatur Dei bonitas: quò reducitur gratiarum actio pro acceptis beneficijs. Secundus est, admiratio; cùm agitur de sapientia, maiestate, & potentiâ Dei. Tertius est, congratulatio, cùm narratur aliquid sublime gestum à Deo, & successus aliquis felix.

Tres, ex memoria nostri boni.

Primus, desiderium, quo afficimur ad absens bonum nostrum, & proximorum, & petimus, siue de liberatione à malis, siue de consecutione bonorum agatur. Huc reducitur exhortatio proximorum, & instructio. Secundus est, confidentia in Dei auxilio, tam de huiusmodi malis euitandis, quàm de bonis consequendis. Tertius est, gaudium de ijsdem bonis euitatis, & bonis adeptis.

Tres, ex nostræ miseriæ commemoratione.

Primus, timor, cùm agitur de malis futuris

turis imminentibus, tam nostris, quàm proximorum. Secundus est, dolor, cùm agitur de malis præteritis, & præsentibus. Tertius erit, humilitas, cùm agnoscimus infirmitates, & defectus nostros.

Tres, ex reprehensione malè agentium.

Primus, zelus iustitiæ contra iniurias, & mala illata. Secundus, indignatio aduersùs nequitiam, quò reducitur conquestio. Tertius monet malè agentes, vt resipiscant. Ex his affectibus aliquando aliqui miscentur; vt congratulatio & gaudium, desiderium & confidentia, insuper dilectio, &c. omnes autem Psalmi & Scripturæ, ad huiusmodi affectûs trahi possunt. Attentio autem ad prædicta, saltim in fine Psalmorum, reuocãda est.

CAPVT V.

De Ieiunio.

§ 1.

Carnem vestram domate ieiunÿs, &c.

PRæceptum hoc, tria complectitur. Primò, quòd domanda sit caro. Secundò, quòd ieiunio domanda. Tertiò, modum ieiunij docet. Pro cuius intelligentiâ sciendum est: quandoquidem vitia in homine, vt plurimùm, à carne cooriuntur, & hoc ex viuacitate fomitis, qui est in carne relictus, qui ita cum carne vires accipit, vt si paulò liberiùs pasta sit, ipsa caro sartago fomitis eò ampliùs incendatur, vt magna difficultas incidat nobis, pugnandi aduersùs ipsam carnem: è contra, eâ repressâ reprimitur & fomes, nec vires altiores in vitia assumit. Vnde & Paulus vas electionis, castigabat carnem suam, ne aliquo modo ab illa electione excideret, ideóq; aiebat: *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo; ne fortè cùm alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar.* 1. Cor: 9. Quare? *Video* (inquit) *aliam legem in membris meis.* Rom: 7. *Si quidem caro concupiscit aduersùs spiritum; & spiritus aduersùs carnem.* Gal: 5. Certum est, interire illum qui concupiscentias carnis sequitur, libentiúsq; indulget illis: contra vi-

tra viuit ille, qui lege ſpiritûs ducitur in carnis crucifixione, & talis ad electos Christi pertinere dicitur, teſtante eodē Paulo: *Qui*, inquit, *Christi ſunt, carnem ſuam crucifixerunt, cum vitijs, & concupiſcentijs.* Ideò tanquam concluſionem dictis inferens, ait: *Mortificate membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram.* Coloſ: 3. ex quibus omnibus hîc locus acceptus videtur. Secundò exprimit, quod ieiunio ſit domanda caro, quo impetus eius frangatur: conſtat enim carnis ferocitatem, incrementa ſumere ab alimentis; quæ cùm carni negantur, vires eius, quæ maximè ardent in vitia, minuuntur: tamen ſic eſt alleuiandum, ne ciuem interficias ipſe tuum.

Abſtinendum autem, quoad fieri poteſt, non ſolùm ab alimentis eſcarū, ſed etiam à potibus vini, propter quod maiori incendio ſolet ipſa caro flagrare, iuxta illud Scripturæ: *Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria.*

Tertium ſequitur: Quantum valetudo permittit. Sapienter particula hæc adiecta eſt; namq; aliâs Regula

gula nimis seuera esset, si discretionem ab abstinentiâ remoueret: sunt enim aliqui infirmioris naturæ, qui tantum sustinere nequeunt, quantum alij; quorum ieiunium sic moderandum est, vt non deficiant. Quo in loco satis laudabiliter instruimur, vt nec superfluè, nec nimis rigidè sustentemur; sed sicut decet seruos Dei, parsimoniam, seu frugalitatem obseruantes: nec vnquam sumentes tantum, quantum valetudo permittit.

§ 2.

Quando autem aliquis non potest ieiunare, &c.

Mirantur plerique, qualem concessionem hîc dederit B. Augustinus impotentibus, id est his, qui ieiunare nõ possunt: cùm enim omnes qui ieiunãt, vnicâ comestione per diem soleant refici; ex quâ ergo parte laxat ieiunium in impotentibus, si quidem eos adstringit ad ieiunandum, vsque ad horam determinatam refectionis? Certè hîc

mihi esse videtur nodus Gordi⁹, qui nō facilè explicetur: nam negare non possumus, quin aliqualem concessionem fecerit ijs, qui ieiunare nequeunt; sed tamen cùm vetat aliquid alimentorum sumi extra horam prandij, non facilè planiùs dixerim quid velit. Nisi fortè existimes, Regulæ Authorem loqui de antiquorum Patrum ieiunijs, qui in perpetuâ ferè inediâ erant; id est, abstinentiâ ab alimentis: quod per se interpretari videtur Author in definitione ipsius ieiunij, vbi dicit: Carnem vestram domate, abstinentiâ escæ & potûs. vt intelligamus, de quo potissimum ieiunij genere loquatur. Legis, B. Benedictum bis solummodò in Hebdomadâ, modicum quid cibi sumpsisse: hūc modum in ieiunando obseruabat B. Maurus discipulus eius, quem chariùs ex omnibus amabat. Incredibilia modò nobis videntur, quæ alij multi, ad capessendum Regnum cœlorum, faciebant, & tolerabant, vt sibi inprimis inferrent bellum, & continuè secum pugnarent, cùm aliâs externè pacem ha-

berent.

berent. Hoc etiam ieiuniū rigorosum, obseruabatur à quibusdam, tempore B. Augustini, in suo Monasterio: propterea hîc ille subiunctiuam statim subintulit sententiam: Qui autem non potest ieiunare: hoc est, totâ die abstinere à cibo; non tamen extra horam prandij aliquid alimentorum sumat, nisi cùm ægrotat: vt indulgentia fiat his aliqualis; videlicet, vt horâ in Claustro præfixâ comedant. Hoc si ita intelligere voles, omnis tibi difficultas soluta manebit. Iam verò horam prandij latiùs quidam volunt extendere, vt à primâ, secundæ quoque locus detur refectioni. Mihi certè hoc parùm ad sensum Regulæ arridet: nam & loca Scripturæ edocent planè ieiunij vocabulum; inediam totius diei indicare. Legis *Iud: 20.* de his, qui toto die abstinuerant à cibo: *Ieiunauerunt*, inquit, *illâ die vsque ad vesperam.* Et 1. Machab: 3. *Ieiunauerunt illâ die.*

Qua in re, hoc cumprimis animaduertendum est: vt si nequimus, iam naturâ fragiliore, cum illis Patribus absti-

nentiam seruare, saltim vsuale ieiuniū continuemus, & horâ assignatâ reficiamur. In summa, cùm dicitur: Carnē vestram domate ieiunijs; victûs abstinentia commendatur, per quam caro spiritui subijciatur. Vbi verò additur: Quantum valetudo permittit; virtus discretionis indicatur. Hîc tamen non videntur electuaria, & alia quæ minùs faciūt ad nutritionem, magis autem ad cerebri confortationem, prohiberi: attamen & hæc in debitâ quantitate, & rarò debent sumi, idq; ex Prælati permissione; ne à minimis ad maiora dilabi contingat. Omnia enim ex Prælati scientiâ & sententiâ meliùs fient: ne nostri iuris esse iudicemur, qui semel aliorū potestati nos cōmisimus.

PRAXIS.

Etsi cuiq; Religioso specialiter cauendum est ab omni excessu: præcipuè tamen circa potum, circumspectum debet se gerere; pro quo conuincentes affert rationes Hugo Vict: in Cap: 6. Regulæ, & Humbertus.

tus. *Vnde in Concilio generali Lateranensi, sub Innocentio VIII. statutum est: vt Religiosi vinum aquâ temperatum bibant, ita vt si vinum purum bibant (intellige cum periculo ebrietatis) peccent mortaliter. Vbi etiam prohibentur in conuiuijs, alios ad bibendum incitare, &c. Ebriosi autem, Iure Canonico puniuntur, subtractione à communione per triginta dierum spatium, vel supplicio corporali*; ex Cap: fin : dist: 35. & ex Cap: à Crapula : *pœnâ suspensionis ab officio, & beneficio, si à Superiore moniti non abstineant.* Vide plura apud Lerañ : Cap: 9. n. 38 in summa Q. R. *Quapropter secularium conuiuia, exemplo D. P. Augustini, vel nunquam, vel rarò, idq; ex causâ per Superiorem cognita, adeant, nec vllo modo se permittant, velut mancipia ventris, in illis obrui cibo, aut potu: sed dent exemplum parsimoniæ regularis tractantibus; iuxta illud monitum Christi:* Attendite, ne grauentur corda vestra, crapulâ, & ebrietate. *Dicit, attendite: ne sub prætextu necessitatis, voluptate decipiamur. In refectionibus quoque extraordinarijs, puta solemnitatum, aut alterius occasionis, maximè sunt cauendæ*

Dæmonis insidiæ, ne sub specie recti seducat: vt sapienter præmonet Aluarez de Paz, Tom: 2 lib: 1. de vitio gulæ.

CAPVT VI.

De escâ spirituali, & corporali.

§.

Cùm acceditis ad mensam, donec inde surgatis, &c.

QVia omnia cum modestiâ, & secundùm ordinem fieri debeant in nobis, quos Dominus in domo suâ constituit velut luminaria lucentia, ad quos nulli non spectant oculi, etiam ad mensam, modestia nostra, & sanctitas illa, quam exigit à nobis Christus, exhiberi debet: vtq; cùm cibi capiendi causâ mensæ assideamus, plùs animum Scripturæ S. auditione, quàm corporalis cibi sumptione pascamus.

Proinde, cũ acceditis ad mensã: id est, accedere debeatis (cùm tali præcepti sensu, credimus articulos hîc positos)

tos) donec inde surgatis; id est, surgere minimè debeatis, vt pariter considentes, reficiamini & corpore, & mente; nec sit licitum cuiquã singulari insequestro refici, sed communiter ad mensam. Duo igitur præcipiuntur: Primum, vt ad communem mensam reficiamur cibis corporalibus. Secundum, vt lectio Sacra ad mensam legatur. Hæc consequuntur alia duo: Primũ, vt nemo surgat ante finem refectionis; nisi in casu, puta infirmitatis, aut iussu Prælati, ob aliquam necessitatem. Secundũ, vt quæ leguntur, intentè audiantur; quod sumptum ex Paulo videtur, vbi dicitur: *Obsecramus in Domino IESV Christo, vt cum siléntio operantes, panem suum manducent. 1. Tim.: 3.* Hoc est autem esurire verbum Dei, quod attentè, cum quâdam mentis voluptate auscultare. Spiritus enim noster suum panem requirit, qui est verbum Dei. Constat enim omnibus, duplici nos portione compactos esse, corpore videlicet, & spiritu; & vtraq; portio suum in nobis requirit edulium; vtque est spiritus longè nobilior corpore, sic nobiliore

cibo nutriendus, quod est verbum Dei, quod mens semper esurire debet, vnde in bono crescat, & roboretur.

PRAXIS.

OPtimam Praxim, audiendæ cum fructu lectionis spiritualis ad mensam, dat B. P. nimirum, vt cum auiditate, audiendi verbum Dei, ad mensam accedatur, & cum esurie illud anima recipiat. S. Pachomius *censet, ad mensam mussitanti, statim pœnitentiam assignandam. Bonum quoq; erit, fructum lectionis factæ ad mensam, quandoq; repetere: tum voce submissâ, vel signis, necessaria petere, ac meminisse cautelæ, quam habet* Seruatus in Opt: Regul: Cap: 7. *vbi docet violatores silentij ad mensam, peccare venialiter, si contemptus adsit: loquentes verò, causa turbandæ disciplinæ regularis, atq; impediendi Lectorem, non effugere reatum peccati mortalis.*

CAPVT VIII.

De vitandis delicijs.

§ 1. Qu.

§ 1.

Qui infirmi sunt ex pristinâ consuetudine, &c.

INfirmitas, hoc loci, non modò morbi est, sed etiam teneritudinis imbecillitatisque vocabulum; ac si apertè dicat: Fortiores æquanimiter tolerent, cùm viderint tenuiores molliùs ex misericordiâ tractari: imò hinc, quia fortiores sunt, debent in se abstinentiæ rigorem constantiùs seruare, nec alijs inuidere. Porro cùm consuetudo altera sit natura, quæ non facilè in exuendis vitijs, atq; in ipsis carnalibus desiderijs illecebrisq; mutatur; nihilominùs accedente feruenti desiderio, fusis ad Deum precibus, sedulâq; animi contentione potest dedisci, & penitùs eradicari: quod liquido constat in multorum exemplis Sanctorum.

§ 2.

Et si eis, qui venerũt ex moribus delicatioribus ad Monasteriũ &c.

QVod dixerat de victu, idem præcipit & de alijs vitæ necessarijs, vt sunt operimenta, vestimentaque; quæ si liberiùs aliquibus quandoque concedantur, id non fiat molestum alijs: alioqui carnales sumus, dum alijs inuidere incipimus; & non tantùm longè absumus à Religione, quæ Christianismi flos est, decor, & honestas, sed etiam ab alijs honestioribus Christianis. Non est igitur quod hîc dolore torquearis de alterius commoditate; non est quod inuideas, qui te ipsum in totum abnegâsti, & alieni es iuris, non tui. Sic solent alijs inuidere qui sua quærunt, qui seipsos diligunt, & hoc in carne, in qua gloriantur; nos autem in spiritum semel reducti sumus: pudeat igitur relabi in carnem, inque eam demutari; sed in spiritu potiùs in dies fortificari, cuique persuasum sit.

Compati debemus alienæ infirmitati, non dolere de felicitate; quanquã illa felicitas necessitatis prouisio sit, & necessitas potiùs dicenda, quàm felicitas. Oro, ausculta parumper. Nonnè Christus dicit: *Diligite inimicos vestros,*

benefacite his qui oderunt vos. Matth: 8. Et Paulus ad Rom: 12. *Si esurit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, da illi potum.* Quantò igitur iustiùs id faciendum est amicis? quantò denique Fratribus, qui in eâdem professione nobiscum viuunt? Nonnè tibi videtur ingens beneficentia hæc, cùm infirmi pro necessitate sustentantur, imbecilles & labore defessi roborantur? Hoc si tu non facis, ast saltim ne doleas quod illi faciunt; sed gaude potius, & gratias age, quia tu nō ita eges sustentatione, quia fortior es naturâ, si norā malignitatis vis effugere.

§ 3.

Nec velle debent omnes, quod paucos vident amplius, &c.

INuidiosam ergo cupiditatem, præceptum Regulæ suffocat: cuius rei causam subiungit, videlicet detestandam peruersitatem. Quis enim vnquam vir factus, viscera materna repetijt? Quis vbera matris, adultus, vt lac suggeret, requisiuit? Id profectò euenit ijs, qui cùm

cùm in S. Religione, ex infantibus Nouitijs, qui fortè lautiùs foueri debuerũt, iam modò durioribus assuefacti; ac indulgentiam victûs necessitate oppressis inuidentes, puerilia fomenta concupiscũt, & ad refectiones debiliorum cum aliorum risu, reuerti anhelant; & hoc in Monasticâ vitâ; vbi quantum possunt, fiunt diuites laboriosi, ne fiant pauperes delicati.

Potes & simpliciter hoc quoq; intelligere, iuxta præmissum sermonem; videlicet, pauperes eos, qui in Ordine votum paupertatis sequentes, etiam à secularis vitæ teneritudine confirmati, longâ frugalitate valent, qui fortiter quæuis dura laboresq; pati possunt: hi enim quasi repuerascere, & vt ita dicã, renouitiari videntur, si eas delicias quærunt ciborum, quibus ali solent inhabiles ad duriora Nouitij.

Dicam apertiùs: erunt, qui nunquàm foris deliciosè victitârunt; nunc si in Religione delicias peterent, magna vtique esset peruersitas: cùm & diuites in hoc ipsum sese assuefaciunt, vt

vitatis delicijs, fortiùs parsimoniam, & labores, sustineant.

In summa, in verbis his, inæqualitas sustentandi, haud aliâ ratione scribitur, nisi necessitatis, ideò, quod infirmis condescendendum est, charitate id exigente. Item præcipitur diuitibus, vt duris assuescant laboribus, & priores delicias non quærant; pauperes autem modis omnibus fugiant delectamenta omnia: vt quisque perfectioni in hac S. Religione intendat, quisque hanc solã vnicè diligat, bona agere, dura perferre, pro voluntate Dei implenda, assuescens. Hinc rectè cuidam D. Franciscus, suadenti sibi, vt maiorem ignem ex lignis, quorum copia ad putredinem vergebat, ad calefaciendum sese conficeret, respondit: Ego, inquit, non ex lignis hic putrefactis, sed à me cõbustis, rationem sum redditurus.

§ 4.

Sanè quemadmodum ægrotantes necesse habent, minùs accipere ne grauentur, &c.

Datum

DAtum eſt præceptum de prouiſione facienda circa ægrotos: modò datur ipſis ægrotis, poſt depulſam ægritudinem confirmatis; vt reſtitutis viribus, non vltrà maneant in domo infirmariâ, ſed vt redeant ad Conuentum, & in communi vitâ degant, qui iam priuatâ ſuſtentatione non egent; & tantò magis decet eos hæc felicior conſuetudo, ſcilicet communitas vitæ, quantò minùs indigent: hinc iam confirmati ex ægritudine repetant communem ſocietatem, nec quærant priuatam ſuſtentationem, ob delectationẽ guſtûs, & ventris ſaginationem; ſiquidem iam paulò ſtudioſiùs tractati conualuêre.

Non eſt igitur decens, vt Religioſi quærant delicias in Monaſticâ vitâ, vbi nonniſi frugalitatis virtus eſſe debet. Noluit S. puer Daniel guſtare cibos regios, contentus leguminibus pane, & aquâ. Neque Rachabitæ vinum guſtare voluerunt, quamuis S. Propheta Ieremias, à Deo monitus, in confuſionẽ Iudæorum, illos id facere iuſſerit, *Ierem. 30.* Nec Patres noſtri, priſci temporis, alio quàm frigidâ aquâ, neceſſi-

tati naturæ satisfaciebant; vt nos ventri gulæque, minimè obediamus.

Absit igitur à nobis, vt iustitiæ viam derelinquamus: insistendum est potiùs maiorum vestigijs, qui Christum vnicum Ducem, & Saluatorem, sibi præfigentes, vitam innocuam transegerunt. Illi forti gressu viam salutis prensantes, nos præcessêre: quid restat, nisi vt eos pro viribus sequámur? Namque, vt hîc ostenditur: Illi æstimandi sunt ditiores, qui in sustinendâ parcitate fuerint fortiores. Et certè optimum est, modicam indigentiam intra etiam ipsam necessitatem sustinere, quandoquidem hoc expeditum militē demonstrat, & sincerum amatorem Dei, qui cupiat quamprimùm in sublime ferri, cælestibusque adscribi. Plenus enim est spiritualibus bonis; ideò minùs sentit corporalem necessitatem. O felices illos, qui ita sunt instituti! verè abundè diuites sunt, copiâque omnium rerum pleni. De quibus illa vox Pauli est: *Tanquam nihil habentes, & omnia possidentes.* Contra verò, qui plus habere cupi-

re cupiunt, arguuntur cupiditate ipsâ laborantes; alligatique mundo, vtpotè, destituti feruore spiritûs, & qui plùs terrenis, quàm cælestibus, delectentur.

PRAXIS.

Status regularis, status pœnitentiæ, etiam de licitis, suadet discretè quandoq; nobis aliqua subtrahi, ne ad illicita paulatim deoluamur. Quin D. Gregorius, *vult omninò, vt qui illicita perpetrârunt, pro pœnitentiâ etiam à licitis abstineant: nam sine mortificatione, tàm interiore passionum, aliarumq; potentiarum animæ, quàm exteriore sensuum corporis; sicut & sine deuotâ oratione, impossibile est, iuxta communem Magistrorum spiritualium doctrinam, bonum fore Religiosum.*

CAPVT VIII.

De amictu interiore, & exteriore.

§. *Non sit notabilis habitus vester, &c.*

AD Religionem, quantum est status honestatis ac summæ modestiæ, pertinet honestas habitûs: & sicut hæc conuenit illi, ita abhorreat ab ea contrarium, quod est notabilitas habitûs, indeque summoperè fugienda. Cōmuniter enim æstimatur illa fœmina probatæ virtutis, quæ nullis gaudeat pigmentis, nullum purpurissi cærusæq; adhibet genis colorem, sed natiuâ formâ quæ sit contenta: nam mulier, quò sit ornatior, eò suspectior; simplex & rusticus habitus caret suspicione: ita & in Fratribus cogites, oportet. Ille enim modestior gratiorq; tibi apparebit, qui minùs gaudet ostentatione; quò verò cultior erit, eò suspectior, quòd nondū deposuerit fastum, & illam cupiditatē, quæ multorum est radix malorum, à quibus se expedire debuit ingrediens Religionem. Ideò & S. Euangelium caret adscititio elegantiæ colore, ne suspectum redderetur, & quasi elegantiâ sermonis sese venditans appareret, & non synceritate veritatis: quâ veritate cùm Ethnicorum scripta destituta sint, oportuit in ea induci colores, quibus

vel maximè placerent. Constat ergò Euangelium, nullâ myropœciâ, nullis pigmẽtis, nullis fucis litum esse; & quòd nullos habeat cincinnos, sed plana omnia; quòd sit contentum proprio colore quo se aperit: ad quod nos conformari oportet per omnem modum.

Obserua: notabilitas habitûs primò fit ex nimiâ pretiositate, de quâ erubescere se dicebat D. Augustinus. Secundò ex mollitie, quæ multùm dedecet pœnitentes, qui olim in cinere, & cilicio vixisse, leguntur. Ideò Dominus: *Ecce (inquit) qui vestiuntur mollibus, in domibus Regum sunt. Matth: 11.* vbi non est locus idoneus pœnitentiæ, sed vanitatis sæpiùs, & sui ostentationis. Tertiò ex pulchritudine, vnde nascitur superbia. Glos: super illud Matth: 3. *Ioannes habebat vestimenta de pilis, &c. Seruus Dei non debet habere vestimenta ad decorem; sed tantùm ad tegendam nuditatem.* Quartò ex superfluitate, quæ directè cõtra votum paupertatis pugnat. Quintò, ex nimiâ compositione, quæ lasciuiæ & impudẽciæ est signum, ex quibus multi scandalizantur secularium.

Quo-

Quocirca summoperè cauendum est, ne nisi necessitas suppeditetur in Religione: vnde nec affectemus placere vestibus, vti solent hi, qui internè carent virtutibus, quibus oculus cordis plurimùm solet delectari: ideò enim isti foris quærunt placere apud homines, quorum oculis sese ostentant, quia non habent quo se Deo placere faciāt, aut quod ipsi aspiciant in semetipsis intus, vbi sordent omnia, & nonnisi densissimæ tenebræ vitiorum occupant omnia; virtutum scilicet radijs euanescentibus, vt eximiè additum sit: sed moribus; quibus placeamus oportet non fucatè, non in hypocrisi, sed in veritate. Primò autem ipsi Deo placere adnitamur, cuius amicitia omnibus præferenda.

PRAXIM.

PRo Praxi huius Capitis, multùm seruiunt suprà posita, de paupertate, & humilitate.

CAPVT IX.

De honestate, & grauitate, foris seruandâ.

§.

Quando proceditis simul ambulate: In incessu, statu, habitu, &c.

VAldè indecens, multùm inconueniēs est, cùm Fratres aliquò missi, ab inuicem separantur, siue in Horis Canonicis, siue in mensa, siue in aliquo negotio: vel quando diuagatur vnus ab altero in aliam domum. Hoc enim ipsum iustâ suspicione carere non potest, aut scandalo quandoque graui: cōtra quos illud Euāgelicum dictum personat. Luc: 9. *In quamcunq; domum intraueritis, ibi manete, & non exeatis.* Intellige, manete simul cum decoro, nec discurratis per domos alienas. Vnde consultissimè Regula docet: Simul ambulate,

bulate, simul itate; vt in Religioso viro appareat grauitas, & morum honestas.

Subditur deinde: In incessu, statu, habitu, nihil fiat, quod cuiusquā offendat aspectum, sed quod vestrā deceat sanctitatem. Similis locus habetur apud D. Paulum, ad Colos: 4. *Honestè ambulate ad eos qui foris sunt.* Item Cap: 2. *Ambuletis dignè per omnia, placentes Deo* Et 1. Tim:4. *Exemplum esto fideliū, in verbo, in conuersatione, charitate, fide, & castitate. Hoc enim faciens, te ipsum saluum facies, & eos qui te audiunt.* Et 1. Cor: 10. *Sine offensione estote*: id est, *sine scandalo.* Huc pertinet & id quod Dominus dicit, Matth: 8. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est. Nam væ homini illi, per quem scandalum venit.* Matth:19. Ideò & D. Petrus admonet, dicens: *Conuersationem bonam inter gentes habentes, vt ex bonis operibus vos considerantes, glorificent Deum Patrē.* 1. Petr:2.

Huius ergo præcepti articulus de-

clarat apertè, in quibus rebus seruanda sit modestia; scilicet in incessu, statu, &c. Sancta namque Religiosorum congregatio, non solùm virere debet integritate conscientiæ, sed etiam florere honestatis decore, sicut scriptum est: Ecclesi: 24. *Flores mei, fructus honoris & honestatis.* Et in eodem Scripturæ loco, sermo dominicus loquitur: *Obaudite me fructus diuini, & quasi rosa plantata super riuos aquarum fructificate: quasi Libanus odorem suauitatis habete, florete flores quasi lilium, & date odorem, & frondete in gratiâ* Ecclesi: 39. Religiosorum, quippe munus est, vt sicut internè Sancti sunt Dei homines; ita & externè exhibeant decorem honestatis. Sic enim docuit D. Paulus, vt non simus contenti coram solo Deo nostrâ conscientiâ; verùm etiam probitatis insignia, exhibeamus coram hominibus. Cor: 8. *Prouidentes* (inquit) *bona, non solùm coram Deo, sed etiam coram hominibus.* Et certè valdè indecorum est, vt ipsi reprehensibiliter viuãt, quorum Ordo exigit vt cæteris præbeant formam sanctitatis: namque ad eos hæc sententia pertinet: *Estote sancti,*

sicut &

ſicut & ego ſanctus ſum. *Luc: 19.* Verè ſancti debemus eſſe, qui nomen & habitum gerimus ſanctitatis, & profeſſionem tenemus Religionis. Apoſtoli vox eſt: *Sic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti.* 1. *Cor:* 4. Exiſtimatio igitur noſtri, & bona fama, neceſſaria eſt nobis, vt quod ſumus, id & appareamus: & quod apparemus, id & ſimus, vt extrinſecus nihil appareat reprehenſibile: vt inceſſus non ſit mollis, muliebri perſimilis, aut ſublimis, ne nimiam arrogantiam prætendat; ſed virilis & modeſtus. Similiter ſtatus non leuis inconſtanſuè, & quaſi loco ſtare neſciat; pes neſcio quo ardore mobilis: in habitu autem maior pars animi morumque inerit.

In ſumma, docemur irreprehenſibiles vitâ permanere, & id quidem magnâ ratione. Sumus enim in perfectiori vitæ ſtatu in Eccleſia Dei, vbi decet & ſanctè viuere, decet & nomen bonum habere: illud ad integritatem noſtri, hoc ad exemplum aliorum; vt cenſet D. Bernardus: *Nullum conſilium meliùs fore, quàm ſi exemplo tuo ædificaueris Fra-*

trem tuum, prouocans semper ad optima sequenda. Id enim iustorum est proprium, vt omne quod dicunt, vel agunt, non solùm per hoc profectum suum, sed etiam proximorum ædificationem quærant. Author est D. Gregorius in Moral. Cap: 32. Est & alia huius rei ratio: Sumus enim (modò simus sancti) lucernæ ardentes, & lucentes in tenebris peccatorum. Iam scimus quid sit lucernas in manibus tenere, quia *proximis nostris lucis exempla monstrare est. D. Gregorio exponente.* Vnde & in veteri lege præceptum erat: *Facies* (inquit) *lucernas septem, & pones eas super candelabrum, vt luceant ex aduerso. Exod: 25.* Septenarius numerus, perfectionis est typus; ideò per lucernas septem, omnes perfectos in Dei Ecclesia designari intelligimus, qui cùm verbo, tùm exemplo lucent, ex aduerso sibi charitate inuicem correspondentes. Tertia ratio, quia in ministerio positi sumus, vt adstemus Domino in similitudinem SS. Angelorum, qui assistunt semper corã Deo, & in hoc ministerium exhibent illi. In eius rei figuram, ostendit se Ioanni Christus ornatu ministratorio, in

medio

medio candelabrorum septem. vt Apoc:1. scriptum est: *Erat enim vestitus veste lineâ albâ vsq; ad talos, præcinctus ad mamillas zonâ aureâ:* Hæc charitas constringens est. *Caput & capilli candidi erant, velut lana alba, & nix:* Hoc modestiam, morumque grauitatem ostendit in ministro Dei. *Oculi eius tanquam flamma erant.* Hoc viuacitatem intelligentiæ indicat, vt non sit stolidus, aut idiota, minister Dei. *Pedes autem eius similes aurichalco:* id est, voluntas eius sit aurea, inque speciem auri multis tribulationum ignibus diducta. *Vox tanquam aquarum multarum:* nam clamare ministrum Dei oportet, in Hymnis & Canticis, siue in Verbi Dei prædicatione; imò contra vitia, velut tubâ horrisonâ clangere, & ad superna vocare.

Ex his autem hi fructus nascuntur: Primò enim honorificatur Deus, qui abundè fructus pulcher & eximius est. Secundò, ædificatur tunc proximus tuus; & id tibi magnæ gloriæ fore non dubites. Tertiò, cumulatur præmium: quale autem te præmium pro his maneat, auris non audiuit, oculus non vi-

dit, nec cor alicuius excogitauit. Ad vltimum hæc omnia tibi accedunt, si religiosam vitam duxeris, vt sacro instituto, & iureiurando tuo, respondeas.

Religiosè autem viues, si illicitos motus compresseris tuos, carnis desideria contemnas, aut abominatus fueris, sensûs cohibueris: ne aut oculi petulantiores sint, aut aures prurientes ad inutilia audienda, vel ad mundanas consolationes, quæ sæpè impuræ sunt; denique si proprium amorem euacuare contenderis, ac spiritu tuo recollecto vni Christo incumbas, illi soli placere studeas, vtque iussit facias, spe ad superna euectus.

PRAXIS.

Modestiæ plurimos actus videre licet apud sacros & profanos Authores: hæc statim ab ipso tyrocinio discenda est, & ad ipsos canos protrahenda; nec audiendi sunt illi, qui se falsò putant exemptos esse à multis actibus modestiæ, cùm Nouitiatûs annum excesserint: quasi verò illa modestiæ virtus, quæ in Nouitiatu lactens fuerat, cum illis adole-

scere,

scere, & ad vlteriorem perfectionem tendere non debeat, cùm nec ipsi Religiosi esse desierint. *Lege* Nigronium in Ascet: Tr: 10. de minimis.

Eleganter de hac Scribanus in Medico Rel: lib: 3. Cap: 23. *Dici non potest, quantùm, siue ad inuitationem, siue ad persuadendum, religiosa morum compositio valeat, vultûs totius modestia ac maturitas, decens omnium membrorum compositio, frons serenior, oculi modicum deiecti, & verecundiam signantes, os genæq; pudorem testantes; manuum, totiusq; corporis, seria maturitas; vt vel hæc sola ingentia, non semel incitamenta fuerint vitæ melioris: potentiora nimirum ad suadelam facta verbis sunt; plùsq; potest morum locutio, quàm fœcundissima verborum flumina, diuite quocunq; fonte manantia. Ita non raró plùs superioris aspectus ad seueritatem compositus, quàm acerbiora verba potuerunt.*

CAPVT X.

De cura Castitatis.

§ I.

Oculi vestri, etsi iaciantur in aliquam fœminarum, in nullam figantur, &c.

MAgnum malum, induxit super nos præuaricatio primorum parentum, vt per eam obnoxij essemus infirmitatibus his, quas in nobis iugiter experimur: ecce enim vniuersi sensus nostri, tàm interni, quàm externi, corrupti sunt, qui fœdis suis delinimentis, ad seruiendum carnali corruptioni, inducunt miseram animam; ipsam rationem, quæ quiddam diuinum in se præfert, excæcantes: vt nisi æquis legibus coërceantur, adhibitâque seriâ custodiâ seruentur; facilè à magnanimitate, & decore honestatis, nos deijciant, ac in belluam quandam immutent; vt ne quidem hominis verè sani vestigium in nobis relinquant. Inter quos vel nocentissimus visus dignoscitur: qui haustum venenum diffundit vsque in interiora animæ, ac omnia deperdit; vt iure in personâ quorundam conqueri videatur.

deatur Ierem: Thren: 3. *Oculus meus, deprædatus est animam meam.* Et in alio loco: *Ascendit* (inquit) *mors per fenestras nostras. Cap: 9.* Quid fenestræ istæ sunt, nisi oculi, per quos patet accessus ad interiora peccatis, quæ per oculos hauriuntur. Ideò rectè admonet D. Gregorius in Moral: *Vt mens sit munda in cogitationibus, deprimendi sunt oculi, quasi raptores ad culpam.* Oculi enim sunt propria tela libidinis, quorũ aspectus mentem hominis vulnerat, & cor. Sic B. Iob depresserat oculos suos, qui cõstantissimè dicebat: *Pepigi fœdus cum oculis meis, vt non cogitarem quidem de virgine. Iob 31.* Indeq; Sapiens in Eccl: monet: *Auerte* (inquit) *oculos tuos à muliere comptâ: propter speciem enim mulieris multi perierunt.* Item in Prouer: *Multos vulneratos deiecit, & fortissimi interfecti sunt ab eâ.* Idem. *Gladius igneus, species mulieris.* Vt rectè regius Psaltes orauerit: *Auerte oculos meos, ne videant vanitatem.* Vnde Gregorius: *Si Eua lignum vetitum incautè non aspexisset, non illud tetigisset.* Ecce quâ ratione prohibetur incautus fixus oculi in Regula! Domini vox est: *Qui viderit muli-*

rit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo. Matth: 5. Quod igitur non licet concupiſcere, nō liceat aſpicere: illabitur enim ſubitò per viſum peſtis atrox, & ad intima oſſium dilabitur; figit altiùs radices, vt nō facilè euelli amouerių; poſſit. Equidem non paruo negotio anima purificatur, hac vbi ſorde imbuta fuerit; nec facili labore ſanabitur corrupta. Proinde rectè ille magnus Arſenius, mulieri petenti pro ſe orare, reſpondit: *Orabo* (inquit) *vt nunquam tui memoriam habeam.* Ecquis vnquam in ſinu anguem abſcōderit? aut geſſerit ignem? Ergo ad euitanda hæc mala, ipſe etiam aſpectus metuendus. Et quia pleriq́ue ſunt, qui malè autumant ſe non coinquinari impudico aſpectu, ideò contra hoc ſtatim fulmen præcepti iacitur.

§ 2.

Nec dicatis vos habere animos pudicos, ſi habeatis oculos impudicos, &c.

Minimè

MInimè tutum est figere aspectum in fœminam, cùm statim sequatur cor, motum lasciuientis oculi. Nemo se putet sanctiorem Dauide, quem amplâ plenitudine inhabitabat spiritus Dei: neque sapientiorem Salomone, qui in excogitandis rerum euentibus, iudicijsque admirandis, perquàm felix: neque fortiorem Samsone, qui ab ipsâ infantiâ Deo consecratus, stupendâ virtute hostes prosternebat. His omnibus deceptrices illusêre mulierculæ; formâ, aspectu, consuetudine. B. Augustini verba sunt: *Crede mihi, Episcopus loquor, Cedros Libani ex hoc cecidisse reperi.* Quid Cedri Libani sunt, nisi excellentissimi in professione Castitatis? hæ enim potentissimæ arbores sunt in mõte Libano, quod nomen, candicationẽ significat. Proinde generoso animo fugiet consortia hæc pestifera, quicunque castitatis verus professor fuerit: *Nam sicut à vestimento prorepit tinea, sic à muliere iniquitas*: dixit *Eccles.* 42. Hic animaduerte, duplicem esse impudicitiam; alteram carnalem, spiritualem alterã. Spiritualis est, quæ ex delectatione cõ-

cepta, per consensum contrahitur; de quâ hic dicitur: Et cùm inuicé, &c. vsq; fugit castitas ipsa de moribus. Carnalis est, quæ in operatione per varias peccati species perficitur. : multis autem modis vtraq; incrementa sumit, modò per visum, modò per auditum, modò per allocutionem, &c. quæ non alium locum sibi sortita est, nisi *in stagno, & sulphure ardenti, ignis infernalis.* Apoc: 20.

§ 3.

Nec putare debet, qui in fœminam figit oculum, &c.

CVm venerea voluptas semel occupauerit mentem hominis, cõtinuâ vi agit intra eius præcordia, & vsque adeò quidem, vt facilè nequeat discernere quid fas sibi sit, quidq; nefas; cuius initium sæpè visus solet esse. Vt igitur exterreamur ab his malis, quos in sanctificationem vocauit Deus, duos Sacra Regula proponit obseruatores nostri:

Primo hominem, deinde Deum: à primo confundimur per infamiam; à secundo, per iudicium. Ab homine nãq; oboritur mala fama, vt confundamur in conspectu hominum: à Deo autem, intentatur pœna, iuxta rectitudinem sui iudicij, qui non potest inultum relinquere peccatum. Dicit ergo. Nec putare debet, qui in fœminam figit oculum, &c. Sunt enim pleriq; qui cùm mala faciunt, putant se latere; sed difficilè est crimen non prodi; & difficiliùs tegitur crimen luxuriæ, cùm mẽs excœcetur ab eo, ne aduertat sui obseruatores. Sed fiat quòd celetur ab hominibus, sicut quandoque solet accidere, vt multorum nesciantur scelera; attamen videt omnia Deus, cui omnia nuda sunt apertaq;, qui habet oculos tanquam flammam ignis. *Apoc.* 7. id est viuacissimos, quibus penetrat etiam interiores cogitationes mentium. Non igitur dicat peccator: *Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob. Circa cardines cœli versatur, opera hominum non considerat.* Sed confiteantur, negentuè: Deus

est summa mens, summus intellectus: *qui finxit oculum, omnia considerat: qui docet hominem scientiam, omnia nouit: qui corripit gentes, peccantes arguit.* Psal: 93. Vnde nobis magna ratio probitatis inserta est, quòd habeamus Deum supra nos, omnia cernentem, nobis præsentissimum, obseruantem omnes semitas nostras: vt quidquid dixerimus, vel cogitauerimus, egerimusuè; soliciti simus, ne quid in nobis Deo displiceat: sicuti habemus illum, Iob iustū pro instructione nostrâ. *Semper enim quasi tumentes super me fluctus, timui Deum.* Iob 31. Et alibi: *Verebar ego omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti.* Quod autem peccatorem non statim punit, dat rationem S. Propheta Isaias: *Expectat Dominus, vt misereatur vestri.* Cap: 30. *Ignoras,* inquit D. Paulus, Rom: 2. *quoniam benignitas Dei te ad pœnitentiam adducit, qui in Ezechiele de se dicit: Nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur, & viuat.* Cap: 19. Attamen quantò fuerit eius misericordia diuturnior, tantò grauior fiet in fine ipsius iustitia, iuxta illud: *Lento quidem gradu, ad vindictam Diuina procedit*

procedit ira, sed tarditatem supplicij grauitate compensat.

§ 4.

Illi ergo vir sanctus timeat displicere, ne velit fœminæ malè placere, &c.

PRohibuit superiùs aspectum criminosum, eò quòd nihil sit faciendum contra Deum, quem, & cuius leges præponere debemus omnibus, atq; adeò in spiritu renouari, vt ne in minimo offensum iri velimus; cùm offensa eius non modica sit: modò subiungit: Vt ei vir sanctus timeat displicere, &c. Ac si dicat: hoc solò displicebit Deo, si malè placere voluerit fœminæ. Deo enim nemo placere poterit in causâ peruersitatis. Nota hîc, Religiosum hominem, sanctum appellat, qui sit amicus Dei, primò per fidem, ac deinde per præceptorum eius obseruationem, ex charitate. Primum igitur hoc studium nostrum sit, hæc principalis cura, ac vigilan-

gilantia, ne in aliquo Deo displiceamus, nec solùm id faciamus, quod præscribit Regula, verùm & alia, quæ à nobis Deus requirit, vt sub vno omnia intelligantur. Secundum, vt cogitantes præsentiam Dei, non malè videamur fœminæ, cōcupisci ab ea volentes, nam sibi est malè videri ab ea: quod sanè nō eorum est, qui ad perfectionem tendere debent.

§ 5.

Quando ergo simul estis in Ecclesia, & vbicunq; fœminæ sunt, &c.

SCriptum est, Eccles: 17. *Quia vnicuiq; mandauit Deus de proximo suo:* videlicet de custodiendo, & nō scandalizando: Ideò *Gen: 4.* reprehendit Caim, qui Deo interroganti dixit: Nunquid fratris mei custos ego sum? Vnde iustissimo præcepto Regulæ, ad mutuam custodiam admonemur, præsertim in re pudicitiæ; quæ vt preciosissima est

in no-

in nobis, ita plurimos nacta est impugnatores. Primò à carne impugnatur; quæ concupiscit aduersùs spiritũ, *Rom*: 2. deinde à Dæmonibus, quorum prauas suggestiones, *ignea tela*, vocat Apos. *Phil*: 6. Vt enim tela flammantia succendũt, vbi iaculata ceciderint; sic prauæ Dæmonum suggestiones, in fauillã vertunt omne ædificium spirituale, si per consensum acceptatæ fuerint; quod ne fiat, præcauet: *State succincti lumbos vestros in veritate.* Quin ipse Dominus apud Matth: *Sint lumbi vestri præcincti. Cap*: 5. Expugnatrices quoq; Castitatis nostræ, sunt ipsæ formæ fœminarũ, à quibus (vt suprà) custodiendi oculi. Audi Paulum loquentem: *Hoc igitur dico, & testificor in Domino, vt iam non ambuletis, sicut & gentes ambulant, in vanitate sensûs sui, tenebris habentes obscuratum intellectum, alienati à viâ Dei, per ignorantiam quæ in illis est, propter cæcitatem cordis ipsorum, qui desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiæ, in desperationem immunditiæ omnis. Ephes*: 4. Expende singula orationis membra, & quâuis occasione, prout Dominus dederit, extirpes,

etiam in alijs hoc turpissimum scelus? *Non enim vocauit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem, vt sciat vnusquisque vas suum possidere in sanctificatione, non in passione desiderij.* Thessal: 4. Quàm igitur conuenienter iubemur ad mutuam custodiam, vt inuicē spiritu fulciamur, ne impatientes custodiæ, in passionis ignominiam tradamur ab irato Deo: ideò namq; congregati sumus, fratresq́ue vocamur, vt mutuis auxilijs subleuemur. *Meliùs est enim esse duos, quàm vnum; habet enim emolumentum societatis suæ.* Eccl: 4. *Si vnus ceciderit, ab altero fulcietur: væ soli, quia cùm ceciderit, non habet subleuantem se.* Sequitur: Deus enim qui habitat in vobis, ipso etiā modo custodiet vos ex vobis. Ac si dicat, etiamsi habeat alios quoque modos custodiendi vos à malo; tamen is est vnus, & præcipuus: proinde nec negligendus à vobis.

PRAXIS.

M*Edia castitatis acquirendæ, corpori applicanda, desumpta ex* Aluarez de

Paz.

Paz, Tom: 2. par: 2. lib: 5. Cap: 14.

1. *Mediocritas in cibo & potu.*

2. *Sensuum mortificatio.*

3. *Honestas in incessu, statu, alioq; situ corporis.*

4. *Asperiorum applicatio; vti sunt, durus lectus, disciplinæ, prostrationes in terram, manuum extensiones, &c.*

5. *Fuga mulierum, otij, aliarumq; occasionum ac incentiuorum ad libidinem.*

Media castitatis acquirendæ, animo applicanda.

1. *Cognoscere Deum, auctorem castitatis.*

2. *Frequenter, & sincerè, à Deo illam postulare.*

3. *Studio literarũ ac sapientiæ intendere.*

4. *Delicias cœli cupere.*

5. *Ad voluntatem in cunctis Dei attendere.*

6. *Circumspicere sua verba, gestus, socios, aliaq; pericula præuidere.*

7. *Animum continere in patientiâ iniuriarum, aliarumq; aduersitatum; inde enim sine consensu perferentur, & animo generoso contemnentur carnis tentationes.*

8. *Statim in principio istas cogitationes*

impuras detestari, aut inuitè malum pati.

9. Se vilipendere, ac humilitatẽ exercere.

10. Mortis horrorem ac miseriam meditari.

11. Suæ imbecillitati semper diffidere.

12. Spiritualis Magistri instructione vti
Idem ibidem Cap: 15 & quidem latiùs.

Nec valet quorundam friuola excusatio dicentium se non posse continere. Contra quã eleganter Marchantius respondet in Horto Past: lib: 3. tr: 4. lect: 8. Nemini Deus præcipit impossibile, qui dixit Gen: 4. Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius. Non experiuntur lasciui homines quid possint, voluptatibus carnalibus resistendo, sed ad primũ lenocinantis voluptatis sensum, statim captiuum tradunt consensum, & sic carnem non vincunt, sed à carne vincuntur. Si eis grandis summá pecuniæ proponeretur, vt continerent tunc promptè & fortiter carni obsisterent. Vbi verò apud Deum præmium seruatum continentibus, non satis consideratur; dicunt se continere non posse. Adde, si mortem corporalem sibi imminere ex incontinentia imaginarentur, frænum sibi injicerent: vbi verò æternus animæ interitus impendet, non satis ponderatur. Si in homi-

num præ-

num præsentiá continuò agerent, continere possent; at quia in Dei, & Angelorum, se esse non considerant, dicunt se continere non posse: cùm prædicta considerantes, contrariũ dicere deberent. Insuper liberum est illis malo non consentire: Deus enim nunquam instat præcepto, quin præcurrat auxilio: qui vt inquit Concil: Trident: Sess: 6. cap: 11. iubendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis, & adiuuat vt possis.

CAPVT XI.

De correctione fraternâ.

§ I.

Et si hanc, de qua loquor, oculi petulantiam, &c.

NOn est quo meliùs possit huic mederi malo, cùm altè cordi insederit, quàm reprehensione, aut correptione: delinquens namq; si castigatus fuerit, vt plurimùm resipiscit, & pœnitudine veniã consequitur: & ideò scriptura ait: *Corripe amicum tuum, ne fortè non intellexe-*

tellexerit, & dicat non feci; ne iterum addat id facere. Eccleſ: 19. *Et iterum corripe amicum, ſæpè enim fit commiſſum peccatum.* Clarius hac de re D. Ambr: lib: 5. in Caput 5. Lucæ: *Sint igitur aliqui monitores mentis, qui animum hominis, quamuis exterioris corporis debilitate torpentem, ad ſuperiora erigāt.* Hæc autem correptio, nequaquam ex indignationis affectu proficiſci debebit; verùm ex beneuolo animo, cupiente ſalutem pereunti. Vnde ibidem ſcriptum eſt: *Corripe proximum antequam comineris, & da locum timori Altiſſimi:* alioqui non æqua putabitur correctio, nihil gratiæ ſecum afferens, ſed mendax, ſicut ſcriptum eſt: *Correptio mendax, in via contumelioſi.*

§ 2.

Si autem poſt admonitionem, iterum, vel quocunq; die, &c.

PArcendum eſt famæ proximi, quoad fieri poteſt: verùm ſi ſalus animæ in eo periclitari incipit, nec aliter illi mederi poterit, fama negligenda erit,

& saluti animæ, pro qua Christus mortuus est, prouidendum; ita vt salus præponenda sit omnibus. Quo autem modo & ordine in accusatione procedendum sit, edocet in sequentibus, in quod sequitur.

§ 3.

Prius tamen est alteri, vel tertio demonstrandum, &c.

COnuertitur ad illud, quod primo tempore est faciendum: antequàm enim facinus occultum, per accusationē propaletur, testes sunt cōquirendi duo, aut tres: sicut Deus constituit. Deut: 19. *Non stabit testis vnus contra aliquem, quicquid sit illud peccati, & facinoris: sed in ore duorum, aut trium, stat omne verbum.* Idē habetur Ioan: 8. & Matth: 18. *Si peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te, & ipsum solum; si audierit, lucratus es fratrem tuum: si autem te non audierit, adhibe autem tecum adhuc vnum, vel duos, vt in ore duorum, vel trium, stet omne verbum.* Huc respiciebat & ipse Apostolus

ad Tim: 5. *Aduersùs Presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus, aut tribus testibus.* Aliâs facilè erraret examen iudicij.

Hic igitur ordo in accusatione seruandus est, vt occultè delinquens, primò fraterno affectu admoneatur, si est spes emendationis: deinde si se corrigere neglexerit, Prælato intimetur (posito quòd sit vir discretus, non violentus, aut subditis malè affectus) non tanquã iudici statim executionem efficaciter procuranti, sed tanquam Patri, aut Pastori; vt prouideat secretiùs monens, diligentiùs custodiens delinquentem, pericula mali remouens, aut alia remedia morbo adhibens: demum si reus proteruus inueniatur, testes contra eum conquirat ad conuincendum eum, & grauiùs castigandum.

§ 4.

Nec vos iudicetis esse maleuolos, quando indicatis, &c.

RESpondet tacitæ obiectioni per antipophoram: posset enim aliquis

intra se argumentari: Tu iubes propalationem culpæ Fratris; sed ego nolo esse iniurius cuiquam, nolo esse asper & grauis, ipse viderit. Sed certè nihil hoc eris minùs iniurius, minùs innocens; imò opus misericordiæ perquàm magnum fuerit, proximum emendare: & è contra graue facinus, culpam in fratre negligere; ac permittere, vt æternaliter pereat gratiâ destitutus. Sumit autem argumentum ab exemplo vulnerati, cui cum sanie conceptâ intumescit, ex percussione aut alio vitio, caro cum cute; & virus dilapsum sit intra viscera, vt nisi ferro cædatur, virusq; cum sanie educatur, actum sit de illo; quem si celes defenda suè, ac ille intereat, tu hominem interfecisti, esq; reus parricidij. Similis ratio est in re spirituali, imò maior, propalandi. Non est ergo maleuolentia, sed beneuolentia; non iniuria, non crudelitas, sed debitum charitatis, hæc delinquentis delatio. Imò maxima per te erit iniuria salutis, dum indicando Fratris morbum, cum sanare potes, & tacendo negligis, vt ille pereat, in conscientiâ, in Dei gratiâ, quæ est vita ani-

ta animæ ad beatitudinem æternam. Ergo nullo pacto debes occultare scelus proximi, sed ad sanandum prodere: alias contra charitatem peccare te noueris manifestissimè, cum Pharisæis, dicentibus Iudæ: Quid ad nos, tu videris.

§ 5.

Sed antequam alijs demonstretur, &c. Si autem negauerit, &c.

VTitur hîc figuratâ constructionis oratione, quæ à Græcis ὕστερον πρότερον dicitur; quâ vti solemus, quoties præponenda postponimus, & è cõtra: quæ figura commodè hîc posita, vel idcircò videtur, vt per intellectionem membrorum orationis, apertiùs processus causæ innotescat. Vt videlicet, si delinquens post admonitionem fraternam, vel denunciationem factam Prælato, eiusque admonitionem, culpã suam defendat; studiosiùs obseruetur, tãdem per testes conuictus grauiùs puniatur. Sunt enim præstanti ingenio,

ac optima natura quidam, qui delicta sua nulla graui contentione confitentur, ab ijsque quamprimùm absolui emendariq; cupiunt: sunt & alij protermiores, quorum cor obduratum est, ex vitijs in consuetudinem iam obductis; qui vt emendari renuunt, sic & confiteri culpam nolunt; qui nec Dei iudiciũ timent, nec ignem eiusmodi obstinatis paratum; aut fortè quia confiteri erubescunt: in hos ergo adhibendi sunt testes fide digni ad conuincendum. Nemo enim, nisi conuictus, iure punitur, ob sæuientes, ac malo veneno tinctas obtrectatorum linguas: & in hoc iudicia sunt instituta, vt reus legitimè conuincatur; alioqui insons pro sonte facilè haberi posset.

Et quoniam in charitate fundati sumus, iuxta eandem sicut denuncians, ità & Iudex Prælatus procedat, vt non facili negotio Fratrem in publico confundat, si priuatim coram se, vel coram vno, vel duobus Fratribus familiaribus reo, possit eum, iuxta maiorem vel minorem notitiam, aut grauitatem criminis, emendare. Secus tamen est; cùm

deu-

delictum semiplenè constat probatum, vel publicâ infamiâ laborat, vt publicè corripiatur. Secundùm tamen eandem charitatem iusta punitio temperabitur, vt non nimis seuerè peragatur; nec in alium finem, nisi vt delinquens correptione fortius resipiscat, vtq; alij metu coërceantur. Pauli vox est: *Peccantes coram omnibus argue, vt cæteri timorem habeant.* *Tim:5.* Est enim medicina quædam, correptio, tum illi qui deliquit, tum aliis, quibus palàm fit iustitiæ rigor, ob quam causam instrumenta iustitiæ publicè exponuntur, vt iudicium declaret iustitiam, legisq; seueritatem ibi non negligi. Proinde conuictus, debet patienter emendatoriam subire vindictam, propter correctionis vtilitatem, & quia hîc verè pœnitens non vltra punietur, dicente Scriptura: *Deus non iudicat bis in idipsum: nam non consurget duplex tribulatio. Nau: 1.* Enimuerò, multi ideò pœnas ignis æterni non euadent in futuro, quia hîc pœnas temporales non sustinuerunt; quòd aut sint potentes, aut iudicia fugiunt, & exinde sibi maiora acquirunt iudicia.

Is autem qui iuxta leges pœnam decernit, caueat, ne ex indignatione, sed cum compassione id faciat; vt benè S. Paulus consulit, ad Galat: 6. *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto: vos qui spirituales estis, instruite huiusmodi in spiritu lenitatis: considerans te ipsum ne & tu tēteris.* Solet enim, iusto suo iudicio, istiusmodi rigidos ac turgidos Iudices, Deus deserere, superbiâ eorum offensus, vt similiter, & sæpè grauiùs cadant; quatenùs ex se primum discant, qualiter cum fragilibus sit agendum. Petrum hîc considera, qui cecidit, antequam Tribunal illud summum Pontificij iuris ascenderet, vt ex se doctior fieret ad condescendendum alijs: vnde, nonnisi vrgente necessitate, rigorem iustitiæ ostendebat; vt patet in Ananiâ & Saphirâ, Simone Mago, &c.

§ 6.

Quam si ferre recusauerit, etiãsi ipse non abscesserit, &c.

DElictum eorum, qui nec culpas verentur committere, & pœnas recu-

ſant ferre, dicitur incorrigibilitas; deli-
ctum grauiſſimum, & periculoſiſſimũ;
quòd & remedia ſanatiua repellat, &
morbum in dies augeat: planè Diaboli
eſt proprium, qui ſemper peccata pec-
catis accumulat, nec vnquam pœnite-
re intendit. Hoc Religiones ſacras de-
molitur, congregationes diſſipat, & la-
tibula latronum facit ipſa domicilia
clauſtralium; cùm obedientiam abijci-
at, quæ eſt primum robur & munimen-
tum Religionum, in quâ omnis virtus
conſiſtere videtur. Amplius dico; hoc
ſolũ eſt ſcelus, quod homines damnat,
cùm nullum aliud ſit tam enorme, tam
patens crimen, quod id efficiat, ſi adſit
vera pœnitentia, ac vitæ correctio: eſt
enim inter alias ſpecies directè contra
Spiritum S. qui effuſus eſt in mundum,
ſi quis velit eo vti, trahereq́; eius vo a in
vitæ emendationem, cui repugnat in-
corrigibilitas.

Quapropter peccatum iſtud, in nul-
lo, quantũcũq; magnus fuerit, ſuſtinen-
dum: etſi fortè alia rationabiliùs ſuſti-
neantur. Contra iſtiuſmodi incorrigi-
biles, militat laudabilis corrigibilitas

Theodo

Theodosij Imperatoris: cùm enim illũ D. Ambrosius, ob quoddam graue facinus, ab Ecclesia reiecisset, seque excusanti lapsu Dauidis, adulterio ac homicidio, respondisset: *Secutus es errantem, sequere pœnitentem*; ipse ad hoc verbum compunctus, suscepit pœnitentiam, & cum humilitate perfecit suam iustitiã. De incorrigibilibus est illud Domini præceptum: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi Ethnicus & publicanus. Matth: 18.* id est, sequestratus de medio iustorum. Huic concordat præsens Regulæ locus: De vestrâ, *inquit*, societate proijciatur.

Obserua: hanc expulsionem, varij variè interpretantur: alij de quodam genere excommunicationis; vt quando interdicitur delinquenti communis conuictus: alij de sequestratione carcerali; alij de eiectione, adempto ipsi habitu; quod hîc probabilissimè D. Augustinum dicimus sensisse. Consultissimè tamen nos fecerimus, si secundùm diuersas personæ culpæuè circumstantias, quandoq; primum, quandoq; secũ-

dum, quandoq; tertium præstabimus; ita vt semper mitior pœna, aut salubrior eligatur, & scandalum alijs, aut prouocatio malitiæ non sequatur; insuper si legis iustitia inde non defraudetur. Pro hoc Argumento, Eccles: 11. *Attende tibi à pestifero.* Item Apostolus deuitare iubet, *ad Tit: 3.* hominem hæreticum, post trinam admonitionem. Et 2. Thessal: 3. *Denunciamus vobis Fratres, in nomine Domini nostri* I E S V *Christi, vt subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè, & non secundum traditionem.* Sæpè Deus, ob vnius peruersi noxam, irascitur toti congregationi; vt habemus exemplum, *Iosue 22.* vbi ob vnum Acham, *super omnem populum Isràël, ira Dei incubuit.* Ideò dictum est: Non enim & hoc fit crudeliter, sed misericorditer, ne contagione pestiferâ plurimos perdat: quia istiusmodi, & verbis quibus se defendere solent, & exemplis prauis, alijs præstare solent audaciam, ad similia facienda.

Sed quid faciendum, si petunt receptionem sui? Respondeo: Si culpæ

incorrigibilitas in ipsis manet, non tenétur eos, eiectores, recipere; imò iustè possunt à receptione repelli, sicut iustè sunt expulsi.

Nec obstat Decretalis, quæ dicit fugitiuos esse requirendos: quia hoc intelligitur, quando sunt tales, qui cum vtilitate Congregationis possunt tolerari; aliâs frustrà eiecti fuissent. Nam & ouis morbida eiecta, non solet in caulã reduci per eandem causam, quia eiecta est. Si verò credatur probabiliter, quòd sint de culpis correcti, & cessauerunt mala facere, & consuetudines prauas deseruisse: tenentur eiectores, eos recipere, saluâ disciplinâ Ordinis.

§ 7.

Et hoc, quod dixi de oculo non figendo, etiam in cæteris, &c.

NE putares, vnam speciem dum tractat, ita intellexisse vt non alias sub eadem notaret: docet in specie genus accepisse, ac dicit eundem modum obseruandi, denunciandi, ac corripiendi,

obſeruari debere in omnibus culpis. Neq; enim fas eſt in locis ſacris vitia ſuboriri, ſed omnia in ſemine extingui debere, ne in ſegetem creſcant; vbi nihil niſi ſumma ſanctitas, ſumma integritas, puritaſque vitæ, eſſe debet: ad quod diligẽter ac fideliter iubet omnes intendere, maximè Prælatos; id eſt, vt ſine vllâ ſomnolentiâ, ſine acceptione perſonarum, procurent, vt vitium tollatur; frater, pro quo Chriſtus mortuus eſt, ſaluetur.

§ 8.

Quicunq; autem in tantum progreſſus fuerit malum, &c.

SVnt pertinaces quidam, qui arbitratu ſuo, quaſi iure ſibi debito, vti amãt; & quod profeſſione emiſſâ ſemel abnegâtunt, rurſus cupiunt in ſuum vſum aſſumere, vt libertate voluntatis licentiùs fruantur, parùm aduertentes, quàm in graui malo verſentur, agantq; contra conſcientiam. Hi ſolent literas, aliaque munuſcula, ſine ſcitu Superioris accipere,

cipere, & data obseruare, sic apud se ratiocinantes: Si hoc ostendam Prælato meo, eius vsu carebo; aut potest esse in literis quidpiam tale, quod minimè deceat alios scire. Contra quos illud. Prouerb: 12. *Via stulti, recta in oculis eius: qui autem audit consilia, sapiens est.* Item D. Hieronymus in Epi: ad Nepot: *Crebra munuscula & sudariola, blandasq; literulas, sanctus amor non habet.* Vnde meritò quidam: *De radice peculiaritatis, vel amore pecuniæ, gignuntur vitia hæc: inobedientia, superbia, contumelia, voracitas, mendacium, luxuria, &c.* Hoc vitium, turbat pacem cum proximo, subijcit hominẽ Diabolo, auertit animam à Deo, vt nusquam feratur affectus, quàm de conseruando peculio. Dicit ergo: Quicunque in tantum progressus fuerit malum, &c. Et: si hoc vltrò confitetur, parcatur illi, & oretur pro eo. Sunt enim aliqui timoratæ consciẽtiæ, qui si aliquid per errorem contra statuta admiserint, adeunt Prælatum, vltrò culpam confitentur; accepta, ne quid sarcinæ secum ferant in iudicium, de-

ponunt; quibus vtiq; parcendum est: sic tamen, vt oratio fiat pro eis à Sanctis Fratribus; quod zelosa prudentia Superiorum, facilè poterit disponere. Sunt alij duro & obstinato animo, qui tardiùs requirunt erratorum suorum remedia: qui iuxta suprà dicta, grauiùs emẽdari debent, pro ratione delicti.

PRAXIS.

TEnemur, sub mortali peccato, ad correctionem etiam peccatorum venialium, quæ proximè disponunt ad mortale, aut magnum alijs afferunt detrimentum. Vide hâc de re plures DD. apud Bonac: Tom: 2. d. 3. q. 4. pun: 1. prop: 1. n. 3. *Aliquando omissâ fraternâ admonitione, denunciandus est delinquens Prælato: primò dum præsumitur incorrigibilis, vel valdè probabile est non profuturam emendationem: deinde, cùm timetur aliquod damnum; vel dum vrget periculum, quod non dat tempus pro admonitione.* Tol: lib: 5. Cap: 57.

Aliâs ordo Euangelicæ correctionis, à Christo præscriptus, nunquam potest omitti quando ei locus est: nam eo seruato, in Religionibus

gionibus non essent tot controuersiæ, æmulationes tot, tot scandala, &c. & præcluderetur aditus omnis, & via omnis, inquietis & maleuolis, &c. Ita Octauius Spar: in Praxi, de modo corr: Reg: T. 6. Cap: 3. n. 3. *Ideò peccans, & fraternè se monenti obstrepens, rectè à D. Basilio, reus excommunicationis dicitur; vtpotè, indignus fraternâ societate, ac per hoc contra Spiritum S. delinquens. Ideò tales à Christo vocantur canes & porci:* Matth: 7. *vbi dicitur:* Nolite dare sacrum canibus: nolite mittere ante porcos margaritas. *Frater, à Prælato de emendatione priuatim monitus, conuincitur inde spirare vindictam, dum petit sibi delatorem, vel testes propalari: quos Prælatus etiam, quâ iudex, in Processu regulari prodere non potest, nisi (quod absit) in aliquo facto criminali; & hoc cum maturo consilio, præcauens grauiora mala.* Lezana in Sum: Quæst: Cap: vlt. & alij plures. *De eijciendis incorrigibilibus ex Ordine, extat Bulla SS. D. N. Vrbani VIII. cuius explicationem vide apud* Lezan: Cap: 23.

CAPVT XII.

De curâ rerum communium.

§ 1.

Vestes vestras in vnum habeatis sub vno custode, &c.

INtentio Regulæ hæc est, vt communis charitas inuiolabiliter obseruetur, & nullus quod suum est quærat, sed quæ alterius, ac propriæ Reipublicæ. Insuper interdicitur, ne quis extra Monasterium quicquam teneat.

§ 2.

Si autem hinc inter vos contentiones & murmura oriuntur, &c.

COntentio, quæ in diuisione animorum est, cum Religioso statu pugnat, de qua suprà dicit: Lites autem nullas habeatis. De murmure idem senti-

ſentiendum eſt; quia nec filij Iſraël intrare, ob id, in terram promiſſionis permiſſi ſunt, quibus Moyſes & Aaron dicebant, Exod: 17. *Non eſt murmur veſtrũ contra nos, ſed contra Deum.* Iiſdem dictũ fuit à Deo, Num: 14. *Omnes qui murmuráſtis contra me, non intrabitis in terram, ſuper quam leuaui manum meam, vt habitare vos facerem.* Sic & modò, minimè ſinentur ingredi Regnum cœlorũ murmurantes. D. Gregorius: *Regnum cœlorum nullus, qui murmurat, accipit.* Hoc eſt enim peccatum, quod non ſolùm in futuro, ſed etiam in præſenti ſæculo, Deus horribiliter punit: ob id namque Maria, ſoror Moyſis, percuſſa eſt leprâ. *Num: 2.* Ob id ignis diuinitùs accenſus, combuſſit extremam partẽ caſtrorum. *Num: 12.* Ob id Datan, Cores, & Abiron, abſorpti ſunt à terrâ viuentes. *Num: 16.* Hoc eſt peſſimum vitium, quod facilè concitat omnes. Scriptum eſt enim, Num: 14. *Quia pauci murmurare fecerunt omnem multitudinem contra Moyſen.* Dixit Abbas in Vitis Patrum: *Qui querulus eſt, Monachus non eſt.* Non igitur murmuraueritis, qui in partem

Sancto-

Sanctorum vocati estis, ac plùs attendere debetis ad vestimẽtum animæ, quod est sanctitas, & iustitia; quàm corporis, quod breui terra consumet.

§ 3.

Et ideò, quantò amplius rem cõmunem quàm propria, &c.

PRimum & maximum in omni Republ: est ab omnibus diligenter obseruandum, vt communi studio res cõmunis procuretur, promoueatur, & augeatur; cuius promotio, est omnium ciuium conseruatio, dignitas, & honor: vt meritò pro bono publico omnia sint contemnenda rei propriæ, & ipsa vita deserenda, si casus tulerit. Vt autem dignitas & emolumentum Reipubl: secũ trahit honorem, & omnes omnium ciuium dignitates, & ipsa emolumenta: sic è contra damna secũ inducit omnibus, ac despectus, si paulò incautiùs curata fuerit. Pari modo quoq; res nobiscum agitur: Scitis enim quia in Repub: Ordinis sumus; vna Domus, eædem le-

ges continent nos; si commune bonũ curauerimus, salui sumus: si defraudauerimus, minimè. Dupliciter autem defraudatur commune bonum; aut negligentiâ, aut proprij curatione: illud abesse debebit à nobis, qui ad laborem nati sumus, & vocati; vt magna ignominia sit homini Deo dedito, in desidiâ vitam transire mortalem: deficit enim hæc, vt vomer siue iaceat, siue in opere exerceatur; sed meliùs exedi splẽdentem in exercitio, quàm iacentem rubigine consumi. Hoc autem, nempè proprij curationem, professa paupertas abegit à nobis; ideò verissimè est dictũ: Quantò ampliùs rem communem quàm propria vestra curaueritis, &c. vt in omnibus, quibus vtitur transitoria, necessitas superemineat, quæ permanet, charitas.

§ 4.

Consequens ergo est, vt cùm quis filijs suis, &c.

PRæcipimur hîc, ab extraneis nihil occultè accipere; cùm iam iuris nostri non simus, nec aliquid proprij tenere possimus: vnde nec etiam ab ipsis parentibus nostris aliquid accipere, ac tenere, cõtra voluntatem Superioris nostri, audeamus, si verè Religiosi esse volumus. Verùm aliquis fortasse subijciet: quòd minùs sufficiẽter prouidetur subditis à Prælato. Sed hæc opinio, multos fefellit, multos euertit: non conquerebatur Ioannes, qui vilibus indutus erat eremum incolens, vilibusq; in hominũ conspectus prodibat: non Paulus Primus Eremita, Ordinis nostri Pater, qui nuditatem, è palmæ folijs texturâ, vestiebat; gloriatur quoque Apostolus in suâ nuditate; sed & præceptum Regulæ dicit: nec affectetis vestibus placere, sed moribus. Proinde vestitus exterior si non potest pro voluntate fieri, saltim fiat pro necessitate; quia scilicet, meliùs est minùs egere, quàm plùs habere.

Deinde cùm dicitur: Quod si quis

rem sibi collatam, celauerit, furti iudicio condemnetur. Res collata, dicitur celari tribus modis: primò, cùm ponitur in aliquo occulto loco, animo abscondendi: tales persimiles sunt coruis, aut graculis, qui nummum suffurantur & occultant: alio modo, quando quæritur, & non propalatur. Sic Rachel occultauit, quærenti Patri, idola in stramentis. *Gen.: 31.* Tertiò, quando tẽpore debito non ostenditur; sicut facit fur, non solùm dum surripit rem, sed etiam cùm furto ablatam non indicat. Hinc ergo qui rem collatam celat, rectè dicitur fur, quia rem non suam, sed cõmunicatis, inuito Dominò, scilicet Superiore, ad quem pertinet dispensatio, clam accipit, occultat, detinet in abscondito; & ideò vt fur est puniendus. Triplici autem pœnâ fur punitur: Primò confusione, seu verecundiâ. Eccl: 5. *Super furem confusio.* Secundò, redditione furti, Exod: 12. *Si furto ablatum quid fuerit, restituatur.* Tertiò, punitione corporali. Iosue 7. *Non ero vobiscum, donec conteratis eum, qui huius sceleris reus est.*

Ergo

Ergo qui rem collatam celauerit, furti iudicio condemnetur. id eſt, in notitiam aliorum detur publicâ obiectione,& cogatur ad reſtituendum accepta, & pœnâ carcerali vexetur.

PRAXIS.

PRaxis huius Capitis, pertinet ad Caput de vnanimitate & paupertate Regulari.

CAPVT XIII.

De mundicie veſtimentorum, & corporum.

§ I.

Indumenta veſtra, ſecundùm arbitrium Præpoſiti, lauentur, &c.

SEmel emiſſum votum, ampliùs retractari non poteſt; nec qui alieno iuri ſeſe volens ſubdidit, vltrà ſui iuris eſſe poteſt: non igitur nos arbitrio no-

stro in S. Religione aliquid efficere possumus, nisi consulto Superiore, de cuius arbitrio pendemus: hinc est, quod etiam ablutio vestium nostro interdicitur arbitrio, quatenus omne nostrum opus maiori præmio cumuletur, & ne vllum opus sit sine vsu obedientiæ, quã vel solam exhibeamus in operibus nostris, Christum nobis proponentes, qui ex obedientia effecit omnia, & cuius opera ipsâ obedientiâ maximè exornãtur, vsq; ad ipsam mortem crucis. Certum namq; est nos à merito deflectere, si quid nostrâ propriâ voluntate paulò liberiùs nobis indulgere cœperimus, ad quod malum nos philautia, seu inordinatus amor, nobis connaturalis, induit. Proinde ne nostra voluntas fiat, etiam in minimis; ipsam ablutionem vestimentorum sine concessione Prælati fieri non procuremus; siue etiam vt in modicis mereamur, siue vt nec ad punctum ab obedientia discedamus, per quam etiam nobis necessariâ coronare in nobis nouit Dominus. Insuper huius causâ subditur: ne interiores a-

nimæ ſordes contrahat mundæ veſtis nimius appetitus; id eſt, vt non cũ peccato delectationis, vel ſuperbiæ, quæ ſunt ſordes animæ, fiat eiuſmodi munditiees.

§ 2.

Lauacrum etiam corporis, cùm infirmitatis neceßitas, &c.

SIcut veſtimentis, ſic & corpori concedit neceſſariam munditiem per balnea, cuius iuſtam cauſam ponit infirmitatem; quæ ſi deſit, nemini ſuffragatur: imò prohibitio in hoc mox ſequitur: Cùm autem velit, & fortè non expedit ſuæ cupiditati, non obediatur; cauſa in promptu eſt. Aliquãdo enim etiamſi noceat, prodeſſe creditur quod delectat: ita vt ſi neceſſitas tulerit, etiamſi nolit, cogatur vt ſubeat balneum. Sic ergo diſiunctiuam ſententiam copulat, vt neceſſitati indulgeat, nõ voluptati; & id quidem per modum re-

medij cuiusdam, vt citra culpam fiat indulgentia: nisi enim adsit necessitas, nõ deerit vitium in delectatione. Attendant præceptum isti, qui nullâ necessitatis infirmitate, ad balnea frequentiùs recurrunt: nunquam enim hoc est concedendum, nisi valetudinis causa recuperandæ, ne cutem curemus, sensusq; nostros in delectationẽ excitemus, qui carnis mortificationem in nos suscepimus, omnem voluntatem religiosè abdicantes.

Sed & istud venit in quæstionem: quid est quod dicitur: Aliquando enim etiamsi noceat, prodesse creditur quod delectat; vtrum ad corpus, vel ad animam, nocumentum referendum sit? Potest ad vtrumq; referri, nã & corpori balnea sæpè nociua esse, iuxta Medicorum placita; & animæ, si delectationi consentiatur, nouimus: brutorum enim animalium est voluptate duci, non hominum, qui ratione; non Religiosorum, qui S. Euangelio, & vitâ Christi, regi debent.

§ 3.

Deniq; si latens est dolor in corpore, famulo Dei, &c.

SIcut mors, ita mortis circumstantiæ adsunt nobis, quæ sunt morbi, qui vt varij sunt, ita persæpè iuxta causas incogniti. Certum est autem, vnumquéq; hominum, suum experiri morbum, cuius vi cruciatur, in quo quisque sibi succurri ab alijs desiderat; & vbi viderit compassionem, lenimen doloris in se vt plurimùm aliquod sentit, quòd cōpassio secum ferat occultam virtutem remedij: contra immisericordia facit augmentum doloris. Vnde rectè præcipitur: vt si quando famulus Dei confitetur quid sibi doleat, statim, & sincerè ei fides detur. Verùm quia interim appetit infirmus, vnde sibi præsidium subuentionis sperat; ideò in tali casu Medicus consulendus, & secūdùm præceptum eius faciendum.

PRAXIS.

BVlla Clementis VIII. de Reg: *præcipit, vt valetudinarium in singulis Conuentibus certo ac salubri loco constituatur, quod pro loci situ, ac Fratrum numero, quoad fieri poterit, commodissimum esse possit, in quo Fratres omnes, cùm ægrotabunt, curentur. Ipsum autem exercitium curæ circa ægrotos, sincera charitas erga Deum, & necessitas pauperis Fratris, ipsaq; honestas Ordinis, edocebit Superiores. Aliàs timeant ne similibus aut grauioribus oppressi morbis, iustè Deo id permittente, maiorem rerum penuriam ferre cogantur; & quod maximè formidandum est, ne audiant post, illud horribile feriens tonitru:* Ite maledicti in ignem æternum, quia infirmus eram, & non visitâstis me. *Matth: 25.*

CAPVT XIV.

De egressu extra Claustrum, & Infirmario.

§ I.

Nec eant ad balnea, siue quocunque necesse ire fuerit, &c.

ISTud mandatum, ad itinerantes pertinet: quia enim Religiosorum status, est Schola perfectionis, & summæ honestatis: proinde Religiosi summã modestiam vbique debent prætendere: hoc autem modestiæ conuenit, ne soliuagi incedant Fratres, sed comite iuncto. Cùm autem necessitatem eundi insinuat, intelligere debemus, vt non sine iustâ causâ de Monasterio egrediamur.

Sed nunquid solum Fratrem mittere quispiam possit Prælatus? Respondeo posse, vbi viderit eam integritatem in eo, quæ inconcussa sit, ac in multis probata: nam & Apostoli soli sæpè ibant, & summæ modestiæ virtutem prætendebant, fructum salutis procreantes optimo sui exemplo, & doctrinâ. Extat Decretalis Innocentij, Prælatum posse dispensare in ijs quæ citra vota sunt, in casu necessitatis.

§ 2.

Ægrotantium cura, siue post ægritudinem reficiendorum, vni alicui, &c.

CVra inter alia ægrotantium est habenda præcipua, cùm semper miseris subueniendum sit; miseria autem magna obsidet ægrotos: primùm, quod impotentes sui sint; deinde, quia cruciatibus dolorũ, pro genere morbi, variè premuntur. Et certè membrum membro subuenire satagit, sentiens eius afflictionem; nos autem sumus inuicem membra, vt docet Apostolus. Primò fidei Sacramentis: deinde Religionis professione, quâ indiuisè vnum sumus, vnumque nos confitemur: meritò igitur vbi vnitatis causæ tot concurrunt, alter alterius onera portemus, & ideò quoties alicui ægroti cura imponitur, illam sine vllâ recusatione subire debet, illi promptè & hilariter inseruiens, vt ministerium plenum sit charitate, me-

ritoque remunerandum. Namq; præter fidei Religioniſque ſocietatem, etiam naturæ lege ad id adſtringimur, vt inuicem nobis ſeruiamus: in hoc enim & conuictus hominum primò cœpit, vt mutuis obſequijs adeſſent ſibi, cùm olim ferinis moribus, paſſim, per nemora vagarentur. Hinc & noſtri Patres, præter alias cauſas, coacti ſunt è nemorum latibulis in Cænobia, vt neceſſitatibus animi & corporis ſibi inuicem ſubuenientes, ampliora charitatis, obedientiæ, aliarumq; virtutum lucrarentur merita. Quòd ſi id negligimus; quis vſus fuerit huius ſocietatis, non video. Neque verò ſolis dulcibus verbis ſuccurrendum putaueritis; cùm non in verbis, ſed factis, vera conſiſtat charitas. Hoc clamat Ioannes, hoc Iacobus, in Epiſtolis ſummâ gratiâ conſcriptis[a]: *Non diligamus verbo, neq; linguâ: ſed opere & veritate. Qui viderit Fratrem ſuum habere neceſſitatem, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo charitas Dei manet in illo?* Ioan. 3. Item in ſequenti Cap: *Si diligamus inuicem, Deus in nobis manet, & charitas eius in nobis perfecta eſt.* Charitas verbalis

eſt im-

est imperfecta, & hypocritica, neque aliud quàm dolosa irrisio, de qua Iac: 2. *Si frater & soror nudi sunt, & indigue int victu quotidiano, dicat autem aliquis, ite in pace, calefaciemini & saturemini: non dederit autem eis quæ necessaria sunt corpori, quid proderit?* Talibus, sola in ore natat pietas, in corde immanitas: *Sed iudicium sine misericordia fiet illi, qui non fecerit misericodiam. Zach: 2.* Obserua, vbi dicitur: Petenda esse necessaria de cellario; omnem curam iniungi, vt per vnum omne officij genus intelligatur.

PRAXIS.

Extat *expressum mandatum Clementis VIII. Quoad egressum*; de Clausura Monasterij, & Socio prodeuntis: *Vt omnis scandalorum & vagationis causa tollatur, Conuentûs clausura perpetuò ac diligenter seruetur, ac propterea à Superiore ianitor constituatur: qui diligentiâ, ac morum integritate, maximè commendetur. Is ianuæ constitutæ semper assistat: eãq; nemini Fratrum aperiat, nisi Socium, & exeundi facultatem, obtineat. Nullus à Conuentu egredi audeat,*

 nisi ex

nisi ex causa, & cum Socio, licentiâq; singulis vicibus impetratâ, ac benedictione acceptâ à Superiore, qui non aliter eam concedat, nisi causâ probatâ, Sociumq; exituro adiungat, non petentis rogatu, sed arbitrio suo, neq; eundem sæpiùs. Licentiæ verò generales exeundi, nulli omninò concedantur. Contrauenientes autem pœnâ graui, etiam carceris, ad Superioris arbitrium, plectantur. Eandem etiam ianitor subeat, si sciens exeundi facultatem fecerit. Cùm autem quis in Conuentum reuertitur, Superiorem iterum adibit benedictionem recepturus, qui à Socio itineris rationem, & quid rei actum sit, diligenter requirat.

CAPVT XV.

De necessarijs animi & corporis.

§.

Codices certâ horâ petantur, &c.

DVo præcipiuntur: primum de libris legendis; alterum, de necessa-

rijs ad vestimentum distribuẽdis. Quoad primum: est hoc intentum Regulæ, vt non otio vacent Fratres, sed vt bonis studijs operam nauent, magnâ satis ratione: *nam legem Dei, de ore eorum homines requirunt*; vt *Malach*: 2. habetur. Siquidem hoc totum illorum in vitâ Monasticâ exercitium est, vt cum Moyse quãdoque ascendant montem contemplationis, vt ibi cernant, per lumen S. Scripturæ, gloriam Dei, & illi sese cum deuotis affectibus, exẽplo sui Patriarchæ, ad fidele obsequium offerant; quandoque descendant ad castra populorum, vt alijs prosint sanis cõsilijs, pijs admonitionibus, in sacris Confessionibus, & quo à suis Superioribus missi fuerint, iuxta illud dictum S. Pauli D. Antonio: *Non tantùm attendas quæ tua sunt, sed & quæ aliorum.* Alterum spectat præceptum ad Prælatos, sub quorum dispositione sunt necessaria, vt ea dare non differant indigentibus; ne occasio detur Fratribus, murmuris aut proprietatis; maximè cùm frequenter fiet pollicitationibus delusio. Hi enim inprimis ostendere debent charitatem erga Fra-

tres suos, in quorũ ministerio sunt positi, ac prouidere non procrastinantes, non inuiti; sed libenter ac hilariter: nec improperanter aut minus, aut vilissima dando: alioqui infideles ac inutiles se ostendent ministros, ac vacuos spiritu Christi, contra quos fulgurat illa sententia Euangelica: *Seruum inutilem eijcite in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentium.* Matth.: 25.

PRAXIS.

A*D otium in Regularibus tollendum, & studia promouenda, optimus præscribitur modus* in Bulla Clementis VIII. *Lectio Sacræ Scripturæ, vel Casuum conscientiæ, bis in Hebdomadá, præscriptis diebus, in suis Monasterijs & Conuentibus habeatur: ad quam Fratres omnes conueniant, eaq́ absolutá mutuá collatione, circa explicatam doctrinam sese exerceant.* Et iterum: *Quo verò omnia ordinatè peragantur, appendatur tabula in loco conspicuo uniuscuiusq; Conuentûs, in qua distinctè annotetur, quid singulis horis, cuiusq; diei, quilibet Frater præstare debeat, vt certo quoq; signo præmonitus,*

maiore

maiore cum animi præparatione, suo muneri satisfacere possit. Hæc ibi. *Porrò meminisse oportet, tempus præsens nobis concessum est ad lucranda æternitatis præmia, iuxta illud Scripturæ:* Quicquid potest operari manus tua, instanter operare, &c. *Aliàs sicut de verbo otioso, sic de tempore, erit danda ratio in die iudicij: multò magis de erratis, quæ sæpè solent euenire, tam quoad nostram, quàm aliorum salutem, in diuersis negotijs, ex negligentia discendi: de quo vide DD. de ignorantiâ inuincibili.*

CAPVT XVI.

De vitandâ discordiâ.

§.

Lites autem nullas habeatis, &c.

APostoli vox est: *Non oportet seruum Dei litigare, sed quietum esse.* 2. Timot: 2. Et iterum: *Si quis videtur inter vos contentiosus esse; nos talem consuetudinem non habemus, neq; Ecclesia Dei.* 1. Co: 2.

Kursus

Rurſus ad Phil: 2. *Nihil per contentionem, neq; per inanem gloriam, ſed in humilitate, Superiores ſibi inuicem arbitrantes, non quæ ſua ſunt, ſinguli conſiderantes.* Idem. *Si inuicem mordetis, videte ne ab inuicem conſumamini.* Gal: 5. Proinde cùm dicitur: Lites autem nullas habeatis; ſic intellige: Nihil per contentionem, neque per inanem gloriam faciatis, ſed in humilitate conſentiatis. Hinc apparet, quàm benè congruat hoc præceptum S. Scripturæ, cui nos in omnibus accommodare debemus. Nec enim decet ſeruum Dei litigare, diſcipulum mitis Magiſtri cæleſtis contendere; qui relicto ſtrepitu ſæculi, ſe in loco pacifico S. Religionis conſtituit.

Aduerte: quibuſdam hoc præceptum durum eſſe videtur. Sed quibus? deiectis à gratia Dei, à charitate eius, ac multùm de ſe præſumentibus. Sed eſto ſit durum, quòd propemodum impoſſibile ſit, quin emergat rixa contentioque; quod & palàm conſtabat D. Patris ingenio; ſed tamen pro viribus fugiendæ lites: Ideò cùm ſciret ita poſſe contingere, maximè à minùs perfectis, du-

ritiam præcepti, sequenti verbo leniuit: Aut quam celerrimè finiatis; vt nemo esset, quod id non facilè posset efficere, etiamsi illud in vniuersum sit, vitare difficilè quibusdã. Subdit rationẽ; ne ira crescat in odium. Vt si dicatur: Nisi protinus hostem spiritualis vitæ, litem videlicet, vt primùm nata sit, finibus vestris depuleritis, aut gladio fraternæ charitatis iugulaueritis, hæc summa mala sequentur: nam ira minuta inprimis rigescet, suâ mole semper crescente in odium, fietq; velut trabs de festucâ, vt facilè miseram animam faciat homicidam, Scripturæ testimonio: *Omnis, qui odit fratrem suum, homicida est:* Ioan:3. *& omnis homicida, non habet vitam in se manentem.* Præstat ergo, vbi primùm ira exorta fuerit, dum adhuc tenera est, ipsam extinguere; vt vbi primum vix efficere possumus, secundum faciamus.

PRAXIS.

AD vitanda iurgia, & finiendas quantociùs lites, hæc media passim à Patribus

Spiritu-

Spiritualibus dantur. Primò in loquendo, submissâ voce vti, prout habet D. Basil: in Epist: ad Can: Christianum non debere vocem attollere; *cùm de Christo Isaias Cap: 42. scripserit:* Non clamabit, nec audietur vox eius foris, vtpotè mitis, ac mansueti. *Secundò: vt vnus ab altero, in principio rixæ, statim recedat, aut taceat: iuxta illud Psal:* Turbatus sum, & non sum locutus. *Sic D. Ambros: in Cap: 4. ad Colos:* Perstrepentibus autem & animosis ad conuicia, semper cedendum: vincis enim, dum cedis. *Tertiò, ad quod assuescendum est,* quod S. Theresia in suis doctrinis posuit: *Vt inprimis verbum Deo commendemus, antequàm illud de ore nostro promamus: quæ etiam doctrina multùm valebit pro silentio seruando. Quartò, non magni facere proprium iudicium, præsertim circa res nostras.* Ita Cass: Coll: 16. Cap: 6. *Quintò, vnus alterius dissimulet dicta, aut defectus, sicut vellet suos dissimulari.* Ad *Ephes: 4.* Cum patientiâ supportantes inuicem.

Nec valet aliquorum excusatio dicentium, sibi ab altero datam esse causam litis: aliâs canes, & aspides, patientes essent hoc

pacto, dum nullum mordent non irritati. Sextò: vitanda sumoperè susurratio, vitium maximè nociuum Congregationibus Regularium; dum videlicet quis alterius dicta de alio offensiua, aut facta quæ possunt discordias seminare, eidem refert: maioris quippè hoc malitiæ est, quàm furtum, detractio, & contumelia; siquidem maius bonum alijs, nimirum amicitiam, aufert. Vide D. Thomam, 2. 2æ. q. 74. ar: 1. Bonacin: Tom: 2. disp: 5. q. 6. p. 1. *Deniq; facilè quisq; vitabit rixam, dum motiuo spirituali proximum diliget: de quo in Capite sequenti.*

CAPVT XVII.

De mutuâ deprecatione, & spirituali dilectîone.

§ 1.

Quicunq; ergo conuitio, aut maledicto, &c.

TRia vitiorum genera commemorat, quibus possunt Monastici se conturbare: conuitium, maledictum, crimi-

criminis obiectum; de quibus tenentur à se inuicem veniam flagitare, paratâ semper indulgentiâ, citra vllam altercationem: propter orationes, quas cũprimis facere debemus, quæ parùm efficaces erunt sine mutuâ reconciliatione; Christo præmonente: *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris quia Frater tuus habet aliquid aduersum te: relinque ibi munus tuum, & vade reconciliari fratri tuò, & tunc veniens offeres munus tuum. Matth: 5.* Nullum enim sacrificij genus Deo placet, ab iratis oblatum; qui in communi precatione, docuit nos sic petere: *Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Qui sic precatur, & tenet rancorem cõtra alium, nonnè seipsum eludet? nonnè contra se precabitur? Si quidem dicit: *Sicut & nos dimittimus, &c.* Ac si diceret: Ego nolo iniuriam meam dimittere fratri meò; nec tu dimittas tuam, quam tibi irrogaui. Vides, frater, quàm manes in ira Dei, & quia nisi ex corde dimiseris, non placeat tuum sacrificium Deo, qui te est puniturus, ob duritiam tuam. Idem

docet

docet parabola, de nequam seruo, cui omne debitum dimissum erat ab homine Rege; quem Rex iratus, quia conseruo centum denarios dimittere noluit; iure tradidit tortoribus. *Mat. 18.* Vbi Dominus, concludens parabolam, inquit: *Sic & Pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis vnusquisq; fratri suo, ex cordibus vestris.* Neque verò putauerit quisquam, sine permissione Dei hæc fieri, id est, irrogari iniurias; non vtique: Deus enim vult experiri suorum constantiam, & integritatem, per aduersa, & vt per patientiam corona illis augeatur, vtque alij fidelitate eorum ædificentur. Certè nos plura committimus aduersùs Deum, opere, linguâ, & fortè cogitatu sacrilego: vnde sicut volumus, Deum sine vltione dimittere nobis culpas; & quidem faciliter; ad primam petitionem; sic & nos faciles simus in proximum in nos delinquentem, etiamsi iterârit iniuriam vsque septuagies septies; quemadmodum Petrum, à Domino doctum fuisse, meminimus. Ne ergo dixeris supplici Fratri tuo: Iam toties irrogâsti: quoniam & Deus dicet tibi:

Tu pluries contra me deliquisti. Hîc tu conferas offensam cum offensa, personam cum personâ, & à Christo disce esse mitis, & humilis corde. Caue insuper, ne quando contra fratrem irâ commotus, durum verbum proferas, aut sub prætextu compassionis, defectum fratris indebitè coram alio referens, famam illius laceres.

§ 2.

Quando autem necessitas disciplinæ, &c.

DOcentur Prælati, vt disciplinam, sicubi necessitas expostulauerit, ad malos mores coërcendos adhibeant: ne per suam indulgentiam vitia foueant in discolis, alijsq; modestioribus laxent habenas; dum non inquirunt, vel non puniunt delicta. Deinde vt nihil timidè agant inter subditos, maximè in disciplinæ executione: semper enim Authoritas eminere, stareq; debet in illis. Demùm, vt sola necessitas cogat eos ad acriorem correptionem; aliâs

aut contemnentur, aut auersio animorum fiet ab eis. Quod si contingat eis modum excedere in corripiendo; tunc non coguntur, præcepto Regulæ, veniam petere, propter seruandam Authoritatem. Nihilominùs semper curare debent, vt dum perstrepit lingua foris, paterna dilectio intus seruetur.

Et certè id vsu euenire solet, vt quò plùs aliquem diligit Prælatus, eò interdum acriùs corripiat illum; hac ratione, ne fauore indulgentiæ laxetur in aliquam immodestiam, in quo specimē quoddam futuri viri apparet. Nam & Medicus maiore diligentiâ medetur illi, cui propensiùs studet; vt cùm sanat, acriori subinde pharmaco sanet. Dicit ergo: Quando necessitas disciplinæ, dicere vos dura verba cōpellit, &c. Id est: necesse est, vt Prælati aliquando, iuxta exigentiam causæ, aut peccantis conditionem, ad reprimendos malos mores, duriùs increpationem faciant; qui forsitan, si mitiùs agerent cum illis, non facilè corrigerentur. Imò in Ordinatis Religionibus vsitatissimum est,

optimos etiam viros, ob leuia delicta, grauiùs admoneri, non tam delinquentium, quàm aliorum causâ; vt ob illorum patientiam, ad modestiam componantur.

Sequitur: Etiamsi vos ipsi modum excessisse sentitis: Potest enim hoc contingere quandoque, quia & ipsi Prælati, humanæ conditionis fragilitati obnoxij sunt; nā sicut flatu ignis carbo, ita & cor vehementiori impetu accenditur, quem arguentes, multiplicitate verborum, & animi contentione, dum non præuident, nec tempestiuè in se comprimunt, promouere solent. Hinc consultissimè facient, dum contra vitia ipsa inuectiuas reprehensiones, nō autem in personā fratris proferent.

§ 3.

Non autem carnalis, sed spiritualis, inter vos debet esse dilectio, &c.

QVia Regulæ suæ, pro fundamento, supposuit dilectionem, & quòd

hæc mutua inprimis inter nos habenda sit; ideò etiam cunctas præceptiones ab eadem dilectione, veluti è fonte, riuulos eduxit: neq; enim aliud est quicquam hactenùs tractatum, nisi actus causati ab ipsa dilectione. Dilectio est animorum consensus; dilectio, mutui honoris exhibitio; dilectio, fraterna admonitio delinquentis, quòd si se non emendauerit, eiusdem denunciatio, vel etiam accusatio, optans bonum animæ illius; dilectio, est lites nullas habere, vel quantociùs sopire; dilectio, facilis iniuriæ remissio: breuiter, id totum dilectione informatur, quidquid præcipitur. Tamen vt hæc cum discretione obseruetur, ponit hîc differentiam, inter carnalem & spiritualem dilectionem; & quòd carnalis dilectio fugienda sit, sequenda spiritualis. Per carnalem intelligitur hîc illa, quæ exclusis diuinis, terrenis aut mundanis nititur rationibus, & respectibus: quali vel maximè parentes, minùs ordinatè, in filios suos feruntur, cùm mundanam felicitatem eis concupiscunt; cuius exemplũ habemus in Matre filiorũ Zebedæi. *Mat: 20.*

Item in Ioanne & Iacobo, optantibus quandam Samariæ ciuitatem, igne cælitùs misso, deflagrari; quos Dominus acri reprehensione repressit. *Luc: 9.* Hac sæpenumerò, culpas matres in filiis negligunt: hac nosmetipsos parùm rectè diligimus, nobisq; impensiùs fauemus: hac Fratribus nostris, quos teneriùs diligere videmur, sæpè indulgemus, eosque defendimus, etiamsi iusta, pro delicti emendatione, disciplina esset eis imponenda. Necessariò ergo præcipitur, ne istiusmodi carnalis dilectio foueatur in nobis, quæcunque illa sit, siue cum aperto crimine, siue quæ speciem pietatis habeat: sed vt sola spiritualis, id est, quæ lege Dei ducitur, & quæ Christo obedit, illumq; sequitur, illum exhibet; quali dilectione viri integrè à carnalibus desiderijs abstracti, sunt affecti; quæ pura & honesta est, plurimumq; meriti habens, quæ ita solum spectat Deum, vt contra eum nihil concupiscat, faciat nihil, nihil suadeat. Hæc culpas ipsiusmet delinquẽtis proprias, aliorumuè, non defendit; hæc lapsis compatitur, & culpas eorum mo-

destiùs tractat, accusatuè; haud aliâ ratione, quàm vt errans dirigatur, labens erigatur, nutans solidetur. Breuiter concludendo, alijs ita bona optat, vt sibi; & quidquid nolit sibi inferri, cauet ne inferatur alijs, maximè quoad bonum animæ, in qua sola, verè vitæ agendæ iustitia perficitur, pro isto statu.

PRAXIS.

OFfensæ condonatio facilè sequitur, ex concepto Dei amore, ex quo omnia charitatis officia, exactè proximis præstabuntur. Si enim, vt rectè monet Calag: loc: cit: *Dei amor, à quo amor proximi genus ducit, cordi semel inhæserit: esto proximus sit deformis, insolens, iracundus, importunus, rudis, & alijs vitiorum labibus notatus, quæ odium parere solent; nunquam Dei amatori, ad proximi dilectionem, ratio efficacissima deerit. Dei quippe bonitas, pulchritudo, mansuetudo, sapientia, & virtutes vniuersæ, quibus fortè proximus caret, luculentissimè splendent, & propter illas proximus diligendus est. Quis enim vnquam amauit, qui ob decorẽ quo trahitur, labores, tæd..., & iniucunda multa non*

 tulerit?

tulerit? Sed licet proximus non amabilis, appetitui nostro displiceat; rationi tamen placere potest. Est quippe (præter rationem illam à Dei decore virtutibusq́; petitam) Dei filius; est æternæ beatitudinis capax; est IESV Christi sanguine redemptus; est mihi ad exercitium & meritum vtilis; est fortassis, à quo ex prædestinatione æternâ salus mea dependeat. Sapienter satis D. Thomas, 2. 2æ. q. 44. ar: 7. *docet, proximum diligendum esse, sanctè, verè, iustè. Primò sanctè, vt sicut aliquis ex charitate seipsum diligit propter Deum, & secundùm dona supernaturalia, ita etiam proximum diligat. Secundò iustè, non expetendo proximo malum aliquod, sed quod bonum est. Tertiò verè, vt quis diligat proximum, propter ipsius proximi commodum, scilicet veræ amicitiæ.*

CAPVT XVIII.

De obedientiâ Superioribus exhibendâ.

§ I.

Præposito tanquam Patri obediatur, multò magis Presbytero, &c.

Sum-

SVmptum ex Apost: *Hebr: vlt.* vbi scriptum est: *Obedite Præpositis vestris in Domino, & subiacete eis.* Mandatum est in lege, Deut: 17. *Qui autem superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, ex decreto Iudicis moriatur.* Habes & Regũ 15. *Melior est obedientia, quàm victima.* Aduertendum est autem, quod B. P. determinat in hoc mandato, ad obedientiam pertinentia. Primò, cui illa debeatur. Secundò, quo ordine. Tertiò, qualis debeat esse obedientia. Est ergo Præposito obediendum, sicut prædictæ authoritates Scripturarum ostendunt. Ordinem docet, cùm dicit: Multò magis Presbytero; haud dubiè P. Generalem totius Ordinis intelligens, cui primùm, & plùs est obediendum, quàm Præposito Domûs. Qualiter autem obediendum est, exprimit, cùm dicit: tanquam Patri; hoc est, suaui quadam subiectione, & filiali, cuius est dulcis obedientia ad parentes. Vnde Haimo, de cœlesti amore: *Quantò humiliores & obedientiores fuerimus Præpositis & Patri-*

bus no-

bus nostris, in tantum obediet Deus orationibus nostris: citiùs enim exauditur vna obedientis oratio, quàm decem millia contemptoris. Sanctâ ergo intentione, & cum omni alacritate, iussis Seniorum obtemperemus; & mox, vbi nobis aliquid imperatum fuerit à Superiore, ac si diuinitùs imperetur, moras pati nesciamus in faciendo: quia obedientia, quæ maioribus exhibetur, Deo exhibetur; ipse enim dicit: *Qui vos audit, me audit.* Pro Dei ergo amore, omni obedientiâ nos subdamus maioribus nostris, vt imitatores valeamus esse Domini nostri; de quo dicit Apost: *Factus obediens vsq; ad mortem.* ad Philip: 8.

§ 2.

Vt ergo cuncta ista seruentur, &c.

HIc mandat curam sollicitam, de Regulæ obseruatione; & determinat ad quem præcipuè pertineat, nimirum ad Præpositum Domûs, seu Conuentûs: qui si culpam emendare possit,

benè

benè quidem; alioqui referat ad Presbyterum, puta Generalem Priorem Ordinis, penes quem stat summa authoritas, & nequaquam negligenter prætereatur cura obseruātiæ regularis.

PRAXIS.

A*Ctus obedientiæ, sunt* ex Aluarez *deprompti*, Tom: 2. de adeptione virtutum.

1. Exequi, quod iussum est à Prælatis (si manifestè malum nō sit) velociter, viriliter, humiliter, & indesinenter.

2. Aduersùs affectus nostros, & inclinationes cordis, obtemperare: sicut fecit Abraam, dum decreuit filium suum (naturâ repugnante) Deo in holocaustum offerre.

3. Voluntatem nostram abnegare, & libenter, & alacriter iussa aggredi; ac liberum mentis arbitrium, voluntati præcipienti subijcere.

4. Iudicium, ac sensum nostrum cohibere, nostramq; sententiam Superioris sententiæ submittere.

5. Si duriter, stultè, verbisq; contumeliosis, ad res difficiles applicemur, libenter parere.

6. Supe-

6. Superiorum, etiam malorum, modò mala non iubentium, præcepta implere.

7. Sine vllâ excusatione, licet excusatio licita sit, iussa facere.

8. Etsi Superior nihil iubeat, indicia tamen suæ voluntatis exequi.

9. Nihil de se ordinare, nihilq́; quod Superior noluerit, concupiscere.

10. Maiori cum auiditate, in ignobiliora, quàm in ea ad quæ natura prona est, officia ferri.

Aduerte D. Thomam; in 2. 2æ. q. 33. ar: 2. ad 4. docere, alijsq́; DD. id asserentibus: *Superiores, non solùm teneri corrigere peccata, quæ casu vident à subditis fieri, aut ab alijs facta cognoscunt: sed etiam inquirere in vitam subditorum, vt videant, si quæ in ijs fortè corrigenda sunt. Nisi enim hoc facerent, subditi faciliter impunè peccarent; cùm facilè ipsis esset cauere, ne in conspectu Prælati peccarent, & faciliter sibi persuaderent, alios per se, sine Superioris inquisitione, ipsos non delaturos, atq; ita, cum maximo boni communis (quod Superiores tenentur conseruare) detrimento, omnia scaterent peccatis, & vigor disciplinæ omninò dissolueretur. Hoc tamen debent facere*

cum mo-

cum moderamine prudentiæ, vt absit nimia sollicitudo, & intempestiua inquisitio. Vide Diannam, par: 2. Tr: 2. Resol: 42.

Certum est etiam, Superiorem teneri, in suis subditis emendare peccata venialia, quando aliàs imminet periculum, ne disciplina Religiosa magnâ ex parte dissoluatur: quia Superior tenetur, quantum potest, dare operam vt hæc totâ integritate seruetur. Ita cum alijs multis Conichus, de act: sup: disp: 28. dub: 3. n. 24. *Etiam ex rationabili suspicione mali occasiones tollendæ, ac viæ præcludendæ tempestiuè; aliâs ex tardâ correctione, seditiones, rebelliones, quandoque grauissima scandala, sequi necesse est.* vt Ambr: Catar: in spec: Hæret. & passim exempla docent.

CAPVT XIX.

De qualitatibus Superioris.

§.

Ipse verò qui vobis præest, non se existimet potestate, &c.

Hîc cer-

HIc certæ dantur præceptiones Prælato cuique, vt & ipse suis legibus dirigatur: Primò, vt in eo sciat se esse felicem, quòd possit in charitate seruire his, quibus præest; vnde exemplo Domini, fiat inter suos non vt dominus, sed vt seruus, quod per semetipsum testatus est, dicens: *Ego autem in medio vestri sum, sicut qui ministrat. Luc: 22.* Secundò, vt in authoritate se contineat in medio suorum, id est, sic studiosè viuat, vt dignè honoretur; attamen citra Superbiam illum honorem suscipiat, vt coram Deo, in timore, putet se sub pedibus omnium esse; id est viliorem, abiectioremque.

Potest & ad subditos hæc sententia propositionis referri, vt in honore habeant Prælatum: ipse verò minimè extollatur de tali honore, quin potiùs deputet se sub pedibus omnium esse. Tertiò, vt talis sit vita Prælati, quam omnes quærant imitari; id est, vndequaque sancta, & perfecta in operibus bonis, & quæ in Dei gloriã inprimis sint. Quartò, vt omnium mores consideret, naturam, & conditiones; ideòq; quos

viderit inquietos, affectionibus inordinatis laborantes, nec se mortificantes, vel suâ impatientiâ alios turbantes; hos corripiat, ac durioribus verbis reprimat, vt timore territi, suos mores indisciplinatos emendent, & maneant quieti. Illos verò, quos tristitiâ deiectos, fractisque animis aduerterit; consoletur, ac roboret, ne tentatione superentur, neuè leui ex causâ magna coniectantes, in maiores scrupulos incidant; Christo se totaliter resignent, qui est vnicum salutis nostræ præsidium, & spes tota. Solet enim malignus spiritus, varias turbationes animis quorundam inijcere, vt illis consternati, ad multa inutiles reddantur, qui potissimùm cōsolatione verbi Diuini sunt erigendi.

Denique suscipiat infirmos. Infirmitatis vocabulum, apud Latinos auctores, ad spiritū magis refertur, quàm ad corpus: siue tamen ad corpus, siue ad animum pertineat; infirmi hîc iubentur benignè suscipi: qui locus sumptus videtur ex Paulo, Hebr: 5. *Rogamus autem vos, Fratres, corripite inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, pa-*

 tientes

tientes estote ad omnes. Non est dubium, quin his loqueretur, quorum intererat gregi fidelium superintendere. Quod verò ex eodem Paulo subiunctum est: Patiens sit ad omnes; hæc est cõsummatio summæ perfectionis Prælati: *Patientia namq; opus perfectum habet.* Iac: 1. Sine hac, Prælatus parùm valebit pro regimine; sicut Medicus, recusans tolerare defectum ægroti, pro sanitate impertiendâ. Hinc Prou: 33. *Impatiens operabitur stultitiam.* & 14. *Qui patiens est, multâ gubernatur prudentiâ: qui autem impatiens est, exaltat stultitiam suam.*

Sequitur: Disciplinam libens habeat, metuendus imponat; Duplicem pono huius loci sensum: Primò, vt disciplinam minimè inter subditos negligere debeat; cùm verò imponit per necessitatem, nihil timidè agat, sed in Authoritate, vt timeatur, seueritate quâdam vtens cum misericordiâ, & quasi qui legis præcepta negligere nequeat. Id est autem seuerum, quod secus verum; & ille seuerus dicitur, qui secus verum, & iuxta legis præ-

cepta incedit. Alius sensus ducitur ex *D. Ambrosio, supra Paulum*, qui definiens disciplinam, modestam esse admonitionem, censet, ipsa vt disciplina, sit modesta admonitio. Et talem disciplinam Prælatus libens, quoad se, habeat, si à Fratribus de aliquo defectu admonitus fuerit. Sic Moyses sapientissimus, soceri suo Iethro, monitis acquieuit. *Exod: 18.* Sic Dauid Rex & Propheta, ab alio Propheta perstrictus, pœnitentiam egit. *2. Reg: 12.* Chrysostomus à mulierculâ, de subtilitate suâ in Concionibus, conquerente, se correxit. Sanctus Franciscus id voluit, imò & præcepit, vt à Fratre admoneretur, quod muneri suo non satisfaceret. Multa etiam exempla apud profanos Principes inuenies, qui à subditis suis, animo benignó, monita susceperunt. Et ratio est: quia præceptum correctionis fraternæ, omnes, etiam subditos respectu suorum Prælatorum obligat: nam sicut tenentur in necessitate corporali, ita multò magis in spirituali, Prælatis subuenire. Attamen non est licitum subditis, de peccatis suos Superiores publicè repre-

hendere, nisi illa sint publica, & vergāt in aliorum scandalum: & subditi, in hac correctione Superiorum, procedere debent tali reuerentiâ, vt obsecratio potiùs videatur esse, quàm increpatio; dicente Apostolo: *Seniorem ne increpueris, sed obsecra vt Patrem.* 1. Tim: 5.

Postremò, quod dicit: Et quamuis vtrumq; sit necessarium, tamen à vobis plus amari appetat, quàm timeri: per hoc verbum, *vtrumq;*, aliud non intelligo, nisi id, quod expositum est in sequenti oratione; videlicet, amorem, & timorem. Quod enim, disciplinam libens Prælatus habet; amoris omnium in se est conciliatio: quod verò, imponat metuendus, iam dignitas, reuerentia, Authoritas: & inter hæc duo incedat Prælatus, quisquis bonus & vtilis esse velit: nam necesse est vt timeatur, ob Authoritatem, & zelum legis, à quo deflectere non potest; & ametur, ob vitæ sanctitatem, & quòd paratus sit admoneri, & corripi: cùmque erit disciplina, siue verbi,

siue

siue virgæ; tunc maximè, paterni cuiusdam affectûs dulcedine, coram omnibus præcellet.

Iam verò, quantâ mole id opprimat Prælatum, quod sequitur! Sẽper, *inquit*, cogitans, Deo se pro vobis rationem redditurum. Quis non formidet, non timeat sibi, & suis tempestiuè non consulat? Hæc sententia ex Apost: decerpta est, Hebr: vlt. *Ipsi scilicet Præpositi inuigilant, quasi pro vobis rationem reddituri.* Scriptum est enim in Ezech: *Super pastorem requiram gregem meum.* Cap: 34. Item, 3. Reg: 20. *Custodi virum istum: qui si lapsus fuerit, anima tua pro anima eius.* Neque enim contentatur Christus de rectâ vitâ Prælati, nisi & super gregem tutelæ suæ pastorali concreditum, quàm diligentissimè inuigilauerit, vt aliquis per negligentiam eius non pereat. Seruet autem, quantum in se est, omni studio & industriâ, hæc omnia. Quod si quis subditorum, sacris institutionibus ac directione reiectis, pereat; suo malo peribit, vt non Prælatus reddat rationem de eo. Id do-

cet textus, Ezech: Cap: 33. *Audiens autem quis sonitum buccinæ, & non se obseruauerit, veneritq́; gladius, & tulerit eum; sanguis ipsius super caput eius erit.* Quare sequitur: *Sonum quippe buccinæ audiuit, & non se obseruauit, &c.* qui totus ille locus in idipsum refertur. Alioqui, id est, nisi ipse disciplinam fecerit, exhortationesque; quod est sonare buccinâ; sanguis pereuntis, & anima requiretur super Pastorem: id est, peribit & Pastor, & ille qui fecit malum. Et hoc est, quod in eâdem Scripturâ dicit consequenter Deus: *Filij hominis, speculatorem dedi te domui Israël: si non fueris locutus, vt se custodiat impius à viâ suâ; ipse impius in iniquitate sua morietur; sanguinem autem eius de manu tua requiram.* In quam sententiam sequentia planè incidunt; dicitur enim: Vnde vos ad obediendum non solùm vestri, sed etiam ipsius miseremini, qui inter vos, quantò in loco superiori, tantò in periculo maiori, versatur. Quali periculo? Rei familiaris? Non adeò. Quali ergo? Animæ certè & salutis propriæ. Neque

enim quod occupationibus rei familiaris aliquando distinetur Prælatus, ideò dicitur hîc maiori in periculo versari, qui non est huius loci sensus; etsi verus sit, quòd in his etiam curis angustietur: tamē aliud est longè maius, quod principaliter prouidere debet, ad quod potissimùm constitutus est, quod hoc loco indicatur. Quia scilicet Prælatus, nisi prudens sit, ac diligens, graui in periculo, animarum suæ curæ commissarum, versatur, suæ autem inprimis. Proinde, vt possit salutariùs prouidere suæ, & omnium saluti, obediendum est illi iucunditer ab omnibus, vt dulciùs exequatur creditum sibi ministerium. Nam si colluctatio emergat illi cum suis, vel ob proteruiam, aut murmura eorum; certè difficiliùs rem suam aget, fietque, vt plures à debitâ diligentiâ desistant, & segniùs bono communi prouideant, cum magno dispendio S. Religionis, ac grauissimo reatu reluctantium disciplinæ Regulari.

PRAXIS.

HÆc petenda est cuiq; Superiori, ex statutis particularibus sui Ordinis, serioq; curandum, vt ipsemet Superior sit lex animata, potens non tantùm in sermone, sed etiam in opere: ne fortè irrideatur ministerium suum à discolis, dum tantùm monet verbis, & opere non procurat executionem; instar Sacerdotis Heli, qui vnà cum filijs propter hoc perijt. 1. Reg: Cap: 4. Pro meliori autem instructione, legatur Pastorale S. Gregorij. D. Bern: de considerat: Opt: Regul: Seruat: Superior, & Medicus Scribanij, Asceticum Nigronij, &c.

De modo Regulæ obseruandæ.

§.

Donet Dominus, vt obseruetis omnia, &c.

QVia enim præcepta hæc, instituunt quendam summæ perfectionis virum,

rum, & talia sunt, quæ humana vis, sine Diuinâ, non perficiat; ideoq; D. P. Augustinus meritò ad Dominum conuertitur, optans ab eo donari subsidium, quatenùs cœlesti virtute fulti, constantiùs Regulæ præcepta perficiamus, tanquàm spiritualis pulchritudinis amatores, & bono Christi odore, de bonâ cōuersatione, fragrantes. Duo dicit: primò, spiritualem pulchritudinem; secundò, bonum Christi odorem: & vnde hæc cooriantur, indicat, quia de bonâ conuersatione. Vbi sciendum: quod spiritualis pulchritudo est à gratiâ Dei, & à virtutibus gratiam consequentibus: sicut è contra, spiritualis deformitas inest à peccato, per consequēs, à gratiæ & virtutum defectu. Apostolus dicit: *Christi bonus odor sumus.* 2. Cor: 2. Is est bona fama, periucundum spirans odorem, ex virtutibus à vitâ Christi contractis; quarum habitus est in mente inhærens: pulchritudo super solem speciosior: odor Christi, super omnia aromata suauior, & gratior.

Aduerte circa hoc, quod dicitur: Non sicut serui sub lege, sed sicut li-

 beri, sub

beri, ſub gratiâ conſtituti. Ille ſeruus ſub lege dicitur, qui neceſſitate coactus, & quaſi inuitus, ſeruat legem timore poenæ, vel amore commodi; non autẽ amore legis, & iuſtitiæ Dei: & ſic non ſeruat in voluntate, quia vellet non eſſe legem prauis affectûs cupiditatibus; indeq; odit iuſtitiam legis, & foris tantùm ſimulat falſas virtutes coram hominibus, fictâ obedientiâ. Non ergo ſicut ſerui ſub lege, ſed ſicut liberi ſub gratiâ conſtituti. Quis liber, niſi filius in domo Patris? Filius ergo, qui habet ſpiritum Dei, cuius gratiâ adiutus, liberè ſeruat legem, & tali voluntate, vt nollet vllo pacto non eſſe legem; imò gaudet eſſe legem, in quâ ſcit voluntatem Dei, ſecundùm quam viuere decreuit. Atq; vt ſummatim concludã: illi manus eſt in lege, huic etiam voluntas: ille cum fatuis virginibus annumeratur, hic cum ſapientibus: ille hypocrita eſt, hic verax Dei cultor: ille nondum ad veram iuſtitiam peruenit, hic tenet. Quare? Quia charitatem habet, ad Deum totaliter, non ad ſe conuer-

ſus, nec

sus, nec sibi, sed Deo principaliter soli viuit, & quæ grata Deo sunt, cogitat, loquitur, operatur. Sola ergo charitas mercedem à Domino, & gloriam acceptam, refert.

PRAXIS.

VT efficaciùs ad executionem præceptorum Regulæ, omnemq́; iustitiam sectandam, nos inducat: proponit viuam Regulam, Christum Dominum, qui nobis à Deo Patre, tanquam idea & exemplar perfectionis, est propositus, ex cuius Euangelio hæc Regula dependet; vbi desiderat, vt non coacto, sed alacri desiderio virtutum Christi, tanquam suaui odore, coram ijs, cum quibus versamur, fragrantes, eosdem ad bonum alliciamus. Qualiter autem hunc odorem Christi contrahere possimus, clarè docet D. Bonauentura, in Informat: Nouit: par: 1. c. 32. verbis sequentibus: *Describe in corde tuo mores, & actus Christi: quàm humiliter se habuit inter homines; quàm benignus inter discipulos; quàm modestus in edendo & bibendo; quomodo nullum spreuit, vel horruit, etiamsi leprosus esset: quàm misericors super paupe-*

pauperes, quibus se similem fecerat per omnia; quomodo diuitibus non adulabatur: quàm verecundus; quàm patiens ad contumelias; quàm mitis in responsis; quàm compositus in gestis suis; quàm sollicitus de animarum salute: quomodo seipsum præbuit exemplum omnis boni: quomodo mulierum familiaria colloquia vitauit causâ exempli, vnde etiam discipuli mirabantur, quando solus cũ Samaritana loquebatur, eò quòd quasi insolitum videbatur in ipso. Item, quàm patiens laboris & penuriæ, &c. Et concludit: Hæc sit sapientia tua, & meditatio, & studium, semper aliquid de eo cogitare, vnde proueceris ad imitandum eum.

Ad imitandum autem vitam Christi, seu ad Religiosè viuendum, præter multa spiritualia instrumenta, proponuntur nobis in Ecclesia Dei exempla Sanctorum: virtutes inprimis B. Virginis MARIÆ, in qua sicut lux solis in plenâ lunâ, ita Christi sanctimonia relucet. Tum actus Deo dicatorum hominũ, Fundatorum ac Patronorum Religiosorum Ordinum, quos veluti duces & Antesignanos suos, quæuis Religio, cum peculiaribus eorum virtutibus, sibi præcipuè sequendos statuit. Vti nostra, S. Paulum Primum Eremitám,

mitam, altissimæ contemplationi, ac puritati Angelicæ deditum; S. Antonium eius æmulum; D. Hieronymum, S. Scripturæ eximium explanatorem; & alios, qui Christi odore imbuti, plurimos ad vitam beatam attraxerunt.

CAPVT XX.

De crebrâ lectione huius Regulæ, & emendatione culparum.

§.

Vt autem vos in libello hoc, tanquàm in speculo, &c.

IVsserat olim Deus suæ plebi, vt præcepta sua gestarét in manibus, ac præ oculis: quatenùs iugi cordis meditatione sese in ijs exercerent, nec solùm autem meditarentur, sed etiam opere adimplerent. Sic enim præceperat illis: *Ligabis verba mea quasi signum in manu tua, eruntq́, & mouebuntur inter oculos tu-*

os. Deut: 6. Hoc mandatum, Pharisæi iuxta literam seruare volentes, præcepta legis scilicet: *Diliges Dominum Deum, &c. Et Dominus Deus tuus vnus est;* scripta ligabant etiam in fronte, propter hominum aspectus in hypocrisi. Cur ista dixerim, audi: Præceptum Regulæ est, vt ea simpliciter & purè, coram omnibus, singulis hebdomadis, semel legatur: verùm Pharisaica erit obseruatio, nisi opere impleatur: igitur quisque ita audiat, vt in opus audita desumat, & studeat pro virili perficere quæ iubentur, seipsum castigans pro delictis, & sincero humilitatis affectu feruoreque Deum exorans de auxilio pro adimplendis.

PRAXIS.

P*Ræter Regulæ crebram lectionem, & culparum correctionem, dantur insuper alij tres modi, qui iuuant ad seruandam Regulam, apud* Aluarez Tom: 2. lib: 3. par: 4. Cap: 2. *Videlicet vniuersa, quæ à Regulâ mandata aut statuta sunt, magni momenti æstima, siue ipsa magna sunt, siue parua.*

Deinde

Deinde illos suspice, illos dilige, illis te associa, quos videris contemptores sæculi, sectatores virtutis, amatores disciplinæ. Demùm, vt labentem animum sæpiùs renouando, te habilem in dies facias, per crebrum exercitium, ad obseruantiam præceptorum Regulæ.

Addo ex communi sententia DD. *Religiosum illum peccare mortaliter, qui ignorat pertinentia ad statum suum: non enim se potest ita in illo, ad consequendam beatitudinem, gerere, vt oportet. Item, quando ex contemptu negligit tendere ad perfectionem, vel ex affectatâ negligentiâ, vel quando ex illius prauo exemplo, inducuntur alij ad relaxationem Regulæ.* Vide S. Thomam, 2. 2æ. q. 186. ar: 2. & 9. Caiet: ibid. & alios plures apud Lezanam, Cap: 1. in summa Quæst: Regul.

Qui autem vult in vitâ spirituali proficere: vnum aliquod principale sibi fundamentum statuat, non distrahendo animum diuersis; ac vnam virtutem peculiariter colendam (licet alias non debet relinquere) eligat, ad quam suas intentiones dirigat; vt practicè docet ex alijs, Calagur: de Instruct: Nouit: Cap: 22. *E. G. Religiosus Paulinus habet pro speciali exercitio, con-*

temptum rerum mundanarum, vt heroico modo, ductu S. Pauli Primi Eremitæ, in omnibus hunc exhibere studeat: Vt Mente Svpra Omnia Elevatvs, Qvasi Solvs In Mvndo Cvm Deo Agat. Memor verborum Apost: Omnia arbitratus sum, vt stercora, vt Christum lucrifaciam. ad Ephes: 3. *Ita, vt in nullâ re maiorem complacentiam, nisi in solo Deo habeat, & ex bonitate creaturarum, ad ipsum maximi faciẽdum animũ suum erigat, respectuq́ gratiæ Christi, pro nihilo ducat, ac detestetur omnia, etiam gratissima.*

Generaliter autem loquendo, cuiq; ad hoc principaliter attendendum, vt abnegando se, & secularia desideria, ipsi Deo viuat, & ad eius placita, omnes actus vitæ suæ referat: cuius Praxim ipse Deus posuit D. Catharinæ Senensi, in breui Dialo: his verbis: *Si vis ad perfectionem gratiâ meâ peruenire, tibi est in summâ humilitate perstandum, & ex verâ, atq; intimâ, miseriæ & inopiæ tuæ cogitatione, id vnum iugiter vehementerq́ affectandum, vt mihi soli pareas, meamq́ voluntatem obserues. Quò autem id præstare queas, necessè est, vt per mentis conceptionem, & animi existimationem, tibi*

habita-

habitatiunculam circumubique concameratam, ex solius meæ voluntatis materia constituas, teq; eò concludas, & semper inhabites; vt quocunq; eas, nunquam progrediaris; quocunq; prospicias, nunquam extra aspicias; sed tuos mentis & corporis sensus, mea semper circumstet voluntas; nec quicquid aliud loquaris, cogites, & efficias, nisi quod mihi placeat, & meæ esse voluntatis credas: Sicq; te, quicquid agendum erit, Spiritus Sanctus edocebit.

Anacephalœosis,

Seu breuis recapitulatio præceptorum Regulæ.

PRincipaliter iubemur, totum cor nostrum, & amorem, à rebus creatis, nobisq; ipsis, abstractum, ad ipsum Deum, eiusque Diuina placita, integrè, & totaliter referre: tũ proximo sicut nobis ipsis

respectu Dei, bonum velle. Deinde ex eo dem Dei amore, sequentia exequi.

1. Idem, in ijs quæ Deo placent, sentire, ac velle; idque mutuis obsequijs perficere.

2. Iure proprio, dominio, ac possessione rerũ temporaliũ sese abdicare; solum nudum vsum rerum à Superiore petere, quem ipse necessitate exigente concedere tenetur: concessis sine murmuratione debemus contentari; superflua nulla tenere; nihil ex aliunde nobis oblatis, Prælatum celare.

3. Tam pauperes, quàm diuites, se humilient; se inuicem, respectu Dei, honorent, ac mutuò libenter sibi seruiant.

4. Omnes orationibus sæpiùs instent, maximè temporibus statu-

tis;

tis; priùs mente, quàm labijs, Deo loquentes. In templo cum summâ reuerentiâ degant.

5. Pro poſsibili, quiſq; carnem ſuam, ieiunijs, ſpiritui ſubijciat.

6. Cum ſilentio, auidèque, Sacram Scripturam, tempore refectionis, audiant.

7. Si quis, neceſsitate exigente, ſuauiùs foueatur, nullus id moleſtè ferat; quin omnes delicias peroſi, parcitate exerceantur, etiam debiles, viribus receptis.

8. Morum potiùs, quàm veſtium, honeſtatem quærant, ſimplicibus contenti.

9. Tota compoſitio membrorum, & habitûs; talis ſit; vt ſanctimoniam vitæ redoleat.

10. Aſpectus in fœminas laſciuus, vtpotè, inſpectori Deo & homini-

minibus odiosus, & animabus perniciosus, omninò reprimatur.

11. Siquis in visu laxus esse, vel quidquam mali incipit agere, statim per alterum admoneatur: quòd si se non corrigat, ad Superiorem, deferatur; post ab eo monitus priuatim, si non resipiscat, grauiùs coram alijs emendetur.

12. Magis publico, quàm priuato bono, intendant.

13. Vestimentorum vt sit mundities, Prælati est attendere; multò magis ægritudini Fratrum, per Medicum, & Infirmarium, prospicere.

14. Foras nullus exeat, nisi cum Socio, per Superiorē sibi deputato.

15. Pro instructione spiritûs, ac otio tollendo, libros petant à Superiore, horis designatis legendos.

16. Lites nunquam habendæ,

vel si

vel si casu emergant, per celerem regressum vnius ab altero, vel dissimulationem, sopiendæ.

17. Cauendum, ne Frater Fratrem, etiam verbo, offendat: læsus tamen, veniam petenti, facilè condonet, eaq; omnia fiant, spirituale bonum procurando.

18. Reuerentia ac obedientia, Superiori, omnis præstanda.

19. Prælatus negligentes corrigat, seq; vilissimum, ex omnibus, coram Deo reputet. Bono exemplo præeat suis. Pij parentis, erga omnes, amorem cum prudentiâ, præseferat. Authoritatem, quâ præstat, conseruet; plùs tamen amari, quàm timeri, appetat.

20. Cuiq; enitendum est, vt virtutibus Christi præditus, cæteros ad bonum alliciat, sponte non coactè

iustitiam faciens. Hæc autem Regula, saltim semel in septimana legatur, ac defectus contra illam admissi, emendentur.

Quicunque hanc Regulam secuti fuerint, pax super illos, & misericordia Dei.

ad Galat: 6.

Pro faciliore exercitio suprà dictorum, subditur

VIA PRACTICA

Ad perfectionem acquirendam.

Breuiter desumpta ex Aluarez de Paz, Tom: 1. Bernardino Resignolio, & alijs.

In viâ purgatiuâ, Religiosus faciat quinque.

1. Ex timore & amore Dei, omnia peccata, etiã venialia, pro virili deuitet, ac tentationibus mundi, carnis, Diaboli, seriò resistat.
2. Vitia, seu malas consuetudines, præcipuè sibi familiares, in se eradicet, contra illas vigilando, se reprehendendo, actus contrarios illis exercendo: pro negligentiâ sibi pœnam iniungat, ac iterum animum, ad illas tollendas, renouet.
3. Res huius mundi: vti sunt, diuitiæ,

deliciæ, honores, vilipendat, ob multiplicem vanitatem earum, & ad quas non est creatus.

4. Corpus, cum sensibus exterioribus, per continentiam mortificet, imaginationes prauas, per pia phantasmata, Quatuor nouissimorum, Passionis Christi, &c. elidat: ac passiones animi; vti sunt, amor, desiderium, gaudium, odium, fuga, tristitia, spes, desperatio, audacia, timor, ira, edomet: cogitando, dum mens turbatur, iucundis vel acerbis rebus, meliora esse bona in cœlo, acerbiora in inferno: ac propter hæc non debere spiritu confundi, sed vt viuat rationis ductu, quà homo; quà Christianus, lege Euangelij; quà Religiosus, exemplo Christi, agendum.

5. Proprium iudicium, ac propriam voluntatem, quæ dissonat à bonis, amoremq; sui inordinatum prorsus abneget; suam miseriam, & se cognoscendo, vilipendendo, ac seueriùs secum agendo.

In viâ illuminatiuâ, exhibeat quinque.

1. Virtutum actus exerceat cogitatione, verbo, & opere, cogitando quotidie aliquid de virtute, sibi præfixa legendo, vel conferendo, intentione illius exercendæ quidpiam faciendo, aut perferendo.
2. Bono exemplo alijs præluceat.
3. Alios, pro virili, in bono instruat.
4. Humilitatis actus, sublimiori modo præstet.
5. Patientiæ onera alacriter perferat.

In viâ vnitiuâ, sequentes gradus ascendere conetur.

1. Primus est, derelictis omnibus creaturis, familiaris & intima conuersatio cum Deo & Sanctis eius.
2. Postpositis omnibus respectibus, purum desiderium, soli Deo placendi, tàm in actiuâ, quàm in contemplatiuâ vitâ.
3. Ingens feruor, ad omnia bona o-

pera præstanda : & præstanda more heroico.

4. Sincera resignatio Diuinæ voluntati, tàm in agendis, quàm in relinquendis actibus; quod etiam heroico modo exhibendum est.
5. Continua memoria præsentiæ Dei, in rebus creatis, & alijs supernaturalibus existentis, cum feruido affectu erga ipsum. De his latissimè tractat *Aluarez de Paz, Tom: 1. & 2.* perfectionis Christianæ.

Ad prædictam viam perfectionis,

Plurimùm valet vita Monastica; cuius partes sunt:

1. Paupertas, quâ renuntiatur proprietati, possessioni, dominio, vsufructui.
2. Castitas, quâ renuntiatur immunditijs corporalibus, & spiritualibus.
3. Obedientia, quâ renuntiatur pro-

prio iudicio, voluntati, sui ipsius regimini.
4. Abnegatio, quâ renuntiatur sibi, consanguineis, iuri polytico.
5. Contemplatio, quâ renuntiatur phantasmatibus, cogitationibus, simulachris, mentem à vero fine impedientibus.

Ad Paupertatem pertinet.

Vilitas vestium, tenuitas victûs, necessariorum etiam minimorum distributio per Prælatos: abstinere in sermone, à meo proprio, & tuo; communio rerum, prohibitio dandi, & accipiendi.

Ad Castitatem.

Ieiunia, cilicia, castigationes corporis, durior lectus, vigiliæ nocturnæ, dormitio in vestibus, seclusio mulierum, oculorum in terram demissio.

Ad Obedientiam.

Humiliationes, seruitia mutua, vltroneæ & publicæ accusationes, Prælatio Superiorum.

Ad abnegationem.

Conuersio morum secularium in Regulares, omnimoda modestia, significatio qualitatis vestium, vitæ communis, diuersa exercitia Monastica, culparum correptiones, rigor vitæ Regularis.

Ad contemplationem.

Lectiones Sacræ, Meditationes, cognitio Dei, cognitio sui, diffidentia de se, Examen conscientiæ, crebra sui recollectio, renouatio piorum propositorum, silentium, solitudo, memoria præsentiæ Diuinæ, frequens sui oblatio Deo penes merita Christi, ac SS. Virginis MARIAE, & Sanctorum Dei; electio melioris boni, in profectu spirituali; officia Diuina, frequentatio Sacramentorum Pœnitentiæ & Eucharistiæ,

stiæ, loca sacra, in quibus quotidie versari necessè est.

Horum omnium finis

Vnio cum Deo, seu Diuinæ charitatis perfectio;

Tandem beatificatio.

Intrate per angustam portam: quia lata porta, & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem. Mat:7.

Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Matth:11.

Oratio D. Thomæ, ad postulandam perfectionem.

COncede mihi misericors Deus, quæ tibi placita sunt, ardenter concupiscere, prudenter inuestigare, veraciter agnoscere, perfectè adimplere, ad laudem & gloriam nominis tui, ordina statum meum, & quod à me requiris vt faciam, tribue vt sciam: & da exequi, sicut oportet, & expedit animæ meæ. Da mihi Domine Deus meus, inter prospera & aduersa non deficere; vt in illis nō extollar, & in istis non deprimar: de nullo gaudeam, vel doleam, nisi quod ducat ad te, vel abducat à te. Nulli placere appetam, vel displicere timeam, nisi tibi. Vilescant mihi Domine, omnia trāsitoria, & cara mihi sint omnia tua, propter te, & tu De⁹ præter omnia. Tædeat me gaudij, quod est sine te, nec aliud cupiam, quod est extra te. Delectet me, Domine, labor, qui est pro te, & tædiosa sit mihi omnis quies, quæ est sine te. Frequenter da mihi Domine, cor meum ad te dirigere, & defectus

meos

meos, cum emendationis proposito, dolendo pensare. Fac me, Domine Deus, obedientem sine contradictione; pauperem sine defectione; castum sine corruptione; patientem sine murmuratione; humilem sine fictione; & hilarem sine dissolutione; tristem sine deiectione; maturum sine grauitate; agilem sine leuitate; timentem te sine desperatione; veracem sine duplicitate; operantem bona, sine præsumptione; proximum corrigere, sine elatione; ipsum ædificare, verbo & exemplo, sine simulatione. Da mihi, Domine Deus, cor peruigil, quod nulla abducat à te curiosa cogitatio. Da nobile, quod nulla deorsum trahat indigna affectio. Da rectum, quod nulla sinistrorsum obliquet praua intentio. Da inuictum, quod nulla frangat tribulatio. Da liberum, quod nulla sibi vendicet peruersa & violenta affectio. Largire mihi, Domine Deus meus, intellectum te cognoscentem; diligentiam te quærentem; sapientiam te inuenientem; conuersationem tibi placentem;

perse-

perseuerantiam, te fideliter expectantem; & fiduciam, te finaliter amplectentem: tuis pœnis configi per pœnitentiam: tuis beneficijs vti in via, per gratiam; & tandem tuis gaudijs in patriâ perfrui, per gloriam.

AMEN.